Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-343518-p0001-3

Xe. 19.
1.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-343518-p0002-8

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-343518-p0003-4

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-343518-p0004-9

CVRATIONVM,

# EMPIRICA-
# RVM ET HISTORICA-
# RVM IN CERTIS LOCIS ET

notis perſonis optimè exper-
tarum, & ritè probatarũ, C[illegible]
TVRIA prima, emenda-
tiùs impreſſa.

AVTORE,

D. MARTINO RVLANDO
Friſingenſi Bauaro, Medico Palati-
no & Laugingano.

*Cum* INDICE, *continente mor-
bos, perſonas, loca & medicamenta,
ſecundum Curationum ſeriem ſeu
numerum digeſto.*

BASILEÆ.

J. H. A. Kück M. C.
[illegible] MDCCXXV.

# HABET HIC LECTOR,

*De Balſami* SVLFVRIS *uiribus in Cancro, Lepra, Fiſtulis, Lentigine, Puſtulis, Scabie, omnibus Vlceribus, Vulneribus: uniuerſisq́ corporis uitijs etiam deploratis & alioquin incurabilibus ſanandis certa ac infallabilia experimenta per Autorem comperta.*

KOEN. FRIED.
UNIVERS.
ZU HALLE

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-343518-p0006-0

# AD ILLVSTRISSIMVM ET GENEROSISSIMVM PRINCIPEM FRIDERICVM *Palatinum Rheni, Ducem Bauariæ, Comitem Veldentianum, &c. Maximi & Pientiſſimi Ducis* VVOLFGANGI *filium* MARTINI RVLANDI *Medici Præfatio.*

PRINCIPIA Medicinæ, omniũq́ aliarum artium cõſtituendarum duo certiſsima ſunt (Illu- *Principia Medicinæ, artiumq́ omnium.*

ſtriſsime Domine Princeps.) uidelicet Experientia atque ratio. Primùm enim Medicinam experientia inuenit ac cõſtituit. Vnde nonnulli olim Medicinæ principium ſolam Experiẽtiam eſſe opinati ſunt, quũ hæc arti Medicæ conſtituendę ſit neceſſaria. Sed quoniam experientia ſine ratione, & hæc ſine illa utilis & ſalutaris eſſe non poteſt, (quandoquidem ſuos mutuis offi.ijs effe-

ctũs

ctus præſtant) Ratio poſtmodum ceu alterum principium æquè neceſſarium acceſsit, quæ illam confirmauit ac in certam artem redegit. Hanc ſententiam & opinionem approbauit Galenus, dicens: Experientia & Ratio duo ſunt inuentionis inſtrumenta, omniumq; quæ in medicina diſquiruntur iudices. Quicunque igitur prudentia excellunt & ſapientia, ueréque colunt ueritatis

*Inuentionis quæ inſtrumenta. Iudices rerũ Medicarum qui.*

 tatis

tatis ſtudium, illi hæc duo iudicandi inſtrumenta, nobis à natura ad cognitionem earum, quæ in uita geruntur, rerum, data obſeruant, quæ equidem in quibuſdam rebus parem afferunt utilitatem ad pertractandam artem: in quibuſdam altera uſu plus præſtat quàm altera: ſemper tamen ad perfectionem rei altera alterius opem requirit. Si quis ergò quærat, cur Febricitanti frigida a-

qua potui detur: duæ in promptu ſunt Reſponſiones , quas duo illa initia ſuppeditant: Rationis reſponſio docet, quæ febris ſit origo, quæ natura, quæ tempora: eodem quoque modo exponit, quæ ſit Frigidæ natura: & ſic quidem diſſerit ac confirmat Ratio in tali morbo ſeu febri eiuſque tempore aquæ frigidę potum eſſe remedium conueniens, aptum & utile. Altera reſponſio ab ex-

perietia petita nihil horum conſiderat, ſed ad uſum, experientiamque confugit, ac inquit: perſæpe uiſum eſſe in eiuſmodi morbo calido & tempore aquæ frigidæ potionem exhibitam profuiſſe. Atque ex his paucis manifeſtum fit, quomodo hæc duo principia, Experientia ſcilicet & ratio, in medicina mutuas tradant operas, & ut unaquæque citra alterius opem & mutuũ auxilium manca ſit ac debilis.

lis. Galenus hæc duo ceu crura, quibus incedat, Medicinæ data eſſe ſenſit. Et ſecundùm hæc in arte Medica quatuor ſectæ ſunt exortæ, λογικὴ, ἐμπειρικὴ, μεθοδικὴ, μέση. Rationalis eſt, quæ circa rerum naturalium cognitionem uerſatur. Empirica, quæ ſoli experiẽtiæ innititur, non rationi, non cauſis, non naturalibus actionibus. Methodica oſtendit artis methodum ſeu uiam compendiariam breuem,

*Crura medicinæ.*

*Sectæ medicinæ.*

*Rationalis.*

*Empirica.*

*Methodica.*

*Media.* facilem & perſpicuã. Media ſecta eſt, quæ experientiam coniungit cum ratione, & tradit cauſarum, morborum, remediorumq́ue communium & propriorum cognitionem iunctam cum experientia. Hæc hæreſis optima eſt & certiſsima. Quoniam experientia docet ea, quæ proſunt, quæque nocent, ratio uerò expendit omnia atque confirmat, adeóque mutuis officijs omnia ſemper

*Secta optima & certiſsima quæ.*

per agere utraque debent. Nam ſola experientia in Medicina difficilis eſt & periculoſa propter materiam, quæ corpus humanum eſt, in quo non eſt tutum aliquid experiri, quod longo uſu non ſit comprobatum. Vndè facetè Stratonicus philoſophus Medicum quendam Empiricum ludit, ad quem dixiſſe fertur: Laudo tuam experientiam, quia non ſinis infirmos computreſcere,

*Ab exẽplis probatur Media ſecta.*

sed

ſed ſtatim eos à uita liberas. Ariſtoteles aliquando morbo correptus ad Medicum inquit: ne me cures uel ut Bubulcum, uel ut foſſorem, ſed prius cauſam ediſſere: ſic enim facili perſuaſione me morigerum reddideris. Nolebat philoſophus aliquid tentari aut experiri in corpore ſine ratione & cauſa cognita. Auguſtinus ſcribit Medicum quendam ægrotanti dediſſe pharmacum, eoq́ꝫ ſumpto

pto conualuiſſe ægrotum. Euenit autem, ut aliquanto pòſt idem morbus recurreret: ægrotus cum ad idem pharmacum, quo prius conualuerat, confugeret, nec ſentiret remedium, accerſit medicum admirans quî factum eſſet, ut eadem medicina, quæ priùs depuliſſet morbum, poſtea magis aggrauaret? Huius rei cauſam ſciſcitanti, medicus facetè reſpondit: Fateor idem fuiſſe Pharmacum,

ſed

ſed ideo non profuit: quia ego non dedi. Reprehenditur ægrotus hic, quod per Empiricorum ſectam deceptus errorem commiſerit: & admonetur de media ſecta, quæ docet, Medici officium eſſe, dare pharmaca, ut qui horum exhibendorũ nouerit tempus, modum, ætatem, rationem & experientiam. Cùm itaque inter Medicorum ſectas præſtantiſs. ea ſit, quæ nominatur Media, ſum hãc

ample-

amplexus ego, ac ex inſti-
tutione eius CVRATIONES
meas contexo. Nam cùm
ab annis iam multis in fa-
cienda medicina & curan-
dis ægris domi, foriſq; uer-
ſor annoto in quotidiana
Praxi notabiliores ac cer-
tiores curationes: quas &
ipſemet præſens in uiſen-
dis ægrotis obſeruo, & æ-
groti ipſimet ſanitati reſti-
tuti uerbis ſuis extollunt
& diuinis laudibus ornant,
atq; ut ueluti optimè com-
perta

perta & in ipſis, ſalubriter
probata remedia memoriæ
literisque mandem & no-
tem hortantur. Id quod e-
3.de Medic. tiam Galenus noſter mo-
ſimpl.fac. net, cùm dicit: Experiri
claſſ.5. prius in ſeſe ipſos præſtat
quæ proferimus, denique
ea conſulere alijs, ac literis
poſteritati prodere. Quam-
obrem quæ ex uſu diutino
in alijs experta & contra
uarias ægritudines tam ex-
ternas, quàm internas pro-
bata medicamenta habeo,

ea in lucem profero & poſteris legenda, ſecure'que utenda relinquo. Quod autem ad Opuſculi ἐπιγραφὴν attinet, feci talem Inſcriptionem: CVRATIONVM EMPIRICARVM, &c. CENTVRIA. Empiricas appello Curationes iſtas, non quod conſtent experimentis ſolùm, ut profitetur Empirica ſecta, ſed quæ ſimul rationalem diſciplinam cum Empiria coniunctam habeãt, & methodicè tractentur

*Inſcriptio Opuſculi & ratio.*

*Empiricæ Curationes cur dicãtur.*

tur. Nam in ſingulis ferè curationibus morborũ cauſas, ſigna, ſexus, ætates, loca, uitæ ſtudia, cibos, potus, &c. inquiro ac perdiſco, inſuper quale medicamentum cauſæ cognitæ adhiberi tutò ac certò poſſit ratiocinor & expendo, ac per uiam compendiariam, facilemq́ꝫ uſu longo & diutina experientia uera & comperta auxilia recenſeo. Id ut Lectori apertiùs & dilucidiùs reddam,

unico

unico exemplo, quod ſentio, exponam. In prima Curatione reſpiciente tonſillarum tumorem uuulæq́; re caſum non nuda proponuntur experimenta, ſed indicatur morbus & ſymptomata, morbi cauſæ (humiditates capitis, &c.) ponderantur, ſigna (difficilis reſpiratio, deglutitio, tumor, &c.) recitantur, ægroti ætas additur, uitæ genus exponitur, locus oſtenditur, &c. ex quibus omni-



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-343518-p0023-5

bus ægroti quoque tempe-
ramẽtum utpote phlegma-
ticum inueſtigatur: cura-
tionis deinceps indicatio
ſumitur ab affectibus, cauſ-
ſis, partibus corporis, ac cæ-
teris modo enumeratis, cui
poſtremò breui & perſpi-
cua ratione ac methodo
ſubiunguntur congrua, cer
ta, probataq́ꝫ aduerſus illa
mala præſidia. Atque hæc
mea opinio, ſummáque in
iſtis Curationibus ſemper
fuit, licet ubiq́ꝫ uerbis non
plenè

plenè explicetur. Quod autem nunc ſupereſt, Illuſtriſſime Princeps, cogitaui ſæpe mecum animo, ſub cuius nomine in lucem has Medicinales Curationes edam, tandem ueritus ſum, ne in grauem fortaſſe reprehenſionem incurrerem, ſi alĳ, quàm Celſitudini tuæ dedicarem & conſecrarem, maximè cũ VVOLFGANGO Patri tuo, ſanctę memoriæ, & nunc PHILIPPO LVDOVICO fratrũ tuorũ

natu maximo, Principibus pientiſsimis multis annis inſeruiuerim. Ac conſtet, te honeſtarũ artium ac philoſophiæ diſciplinis bene inſtructũ eſſe, multarumq́ linguarum peritum, Medicinæ etiam ſtudio & amore affici, non dicam de ſingulari pietate, continentia, humanitate, prudentia, uitæ integritate, quibus Illuſtris factus es, & pro quibus diuinis donis omnibus inprimis Deo Opt. Max.

deinceps clariſs. & doctiſs. uiro D. Petro Agricolæ, & Martino Keplero optimo homini gratiam meritã debes. Patiaris igitur, Generoſiſsime Princeps, ut Opuſculum hoc meum in communem ægrotorum uſum conſcriptum tua autoritate, gratia, & nominis ſplendore in publicum exeat: atque id benigniſs. ac exporrecta fronte excipias, ξενίων δέ τε θυμὸς ἄριστος. Bene & diutiſsimè Vale Clemen-

 tiſs.

tiſs. Princeps, Tuoq́ꝫ Patrocinio & Gratia nos fouere perge. Laugingæ ad Danubiũ, Anno Redemptionis noſtræ 1578. menſe Ianuario.

D O.

# DOCTISS. ET IN RE MEDICA EXperientiſs. uiro D. Doctori MARTINO RVLANDO, Phyſico Academiæ Laugingenſis primario, amico chariſsimo ad manus.

VALE Doctiſsime Domine Doctor. Iã enim Atropos mecum colluctatur. Tu cum tuis Centurijs feliciter perge. Ego aliud nihil addere poſſum, quàm Carmen hoc. Quare ſi placet id addas: ſin minus concerpe, & pro me Deum ora. Morbus meus eſt ſeptuageſimi ſeptimi anni, aridiſsima hectica, quem ne-

mo mihi præter Veſpilonem curabit.
Tu felix in Domino uiue. Ex Aug-
ſpurgo, XVIII. Nouembris
nocte, Anno M. D.
LXXVII.

*Achilles tuus P. Gaſſerus.*

IN

## IN CENTVRIAS MEDICAS D. MARTINI RVLANDI Achilles P. Gaſſerus L. Medicus celeberrimus & doctiſsimus.

*PER uarios uſus artem experientia fecit,*
*Cur ita quæ fierẽt edocuit ratio.*
*Certior hæc dux eſt, ꝗa recto tramite ꝑgit*
*Sæpè tamen dubitat non benè fiſa ſibi.*
*Euertit ratio rationem cæcaq́ꝫ ſæpè*
*Mẽs uelut in ſalebris hæſitat atqꝫ iacet,*
*Omnia nõ igitur poſſunt ratione parari.*
*Eſt opus accedãt, uſus & apta manus.*
*Sæpè tamẽ Medicos uana exꝑiẽtia fallit:*
*Diuerſis eadem nec benè conueniunt.*

*Ergò*

*Ergò nec ars ſatis eſt & itē expĕriētia fallit,*
*Vſus & ars in idē quàm benè cõueniūt?*
*Sed q̃ difficile eſt hæc ſic cõponere nequis*
*Error in obſcuris decipiat latebris.* (nāt
*Fata regūt uitā, mortē quoq; fata guber-*
*Queîs uitā tribuūt hos medicina iuuat.*
*Quos uerò morti iā deſtinat Atropos ulla*
*Nō queat Hippocrates arte iuuare ſua.*
*Imprimis igitur quod ſit ſanabile uulnus*
*Aſpice, naturæ bella mouere caue.* (dēt,
*Et certò ſtatuas niſi numina dextra ſecū-*
*Ars, uſus, ſtudiū quod ſine fruge iacent.*
*Nec mirum cum tāta ſiet petulantia uitæ*
*Curari paucos funera multa ſeq.* (gulā
*Vulgꝰ iners Medicos culpat, ſed ſtringere*
*Negligit et Veneris caſtra nefāda petit.*
*Ergò ſuo pereunt fato qui uiuere nolunt.*
*Viuere qui cupiūt, hos iuuat iſte liber.*

NICO-

## NICOLAI REVSNERI Iuriſconſulti.

Ἰητρὸς μὲν ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων:

εἰ συνετὸς, καὶ ἑαῖς ἐν φρεσίν ἐστι σοφός.

οὐ τέχνη μόνον, ἀλλ' ἐμπειρία, εὐτυχία τε,

ἰητρὸν ποιεῖ ἄξιον, ἠδὲ σοφόν.

τοῖος ἐὼν, ΡΟΥΛΑΝΔΕ, τόσοισι βίβλοισιν ἰητροὺς

ἐλλογίμους ποιεῖς πλείονας, ἠδὲ σοφούς.

# CVRATIONVM EMPIRICARVM ET HISTORICArum, in certis locis & notis perſonis expertarum & probatarum CENTVRIA.

AVTORE,
MARTINO RVLANDO
*Friſingenſi Bauaro, Medico Palatino & Lauingano.*

## CVRATIO PRIMA,

*Tonſillarum, Vuulæq́; tumoris & caſus.*

EXperta in Doctiſsimo uiro, NICOLAO REVSNERO I. V. Doctore, & in Il- *Tonſillarũ tumor.* *Vuulæ caſus.* *Nicolaus Reuſnerus.*

 luſtriſ

luſtriſs. Generoſiſsimiq́ Principis ac Domini D. PHILIP. LVDOVICI, Palatini Rheni, Ducis Bauariæ, Comitis Veldẽtiani, &c. Schola Laugingana celeberrima Legũ Iuris Profeſſore ac Rectore: qui anno ætatis ſuæ circiter 23. ob capitis defluentes humores paſſus eſt Amygdalarum inflammationem, Vuulæq́ caſum: & ob id mali genus uix deglutiebat, difficulterq́ reſpirabat. Hunc ego paucis ſequẽtibus remedijs ſanaui.

*Laugingana Schola.*

*Suffimẽtum ad Amygdal. tumorẽ & Vuæ caſum.*

*Suffimentum.*

Accepi Carabę albiſſ. drach. j. qua redacta in puluerem craſſiorẽ, & carbonibus impoſita ſu-

fumus per infundibulũ ore excipiebatur manè, meridie, ac ueſperi, multum'q; proficiebat.

*Cataplaſma.*

*Cataplaſma ad eadem.*

Accepi præterea fermenti ueteris Vnc.j. quã Emplaſtri modo linteolo inducebã, & aſperſo Caraba alba puluere uertici ſuperponebã ad latitudinem manus dimidiæ per diẽ, per noctẽ ſequentem recens applicabam Atq; hæc pauca erãt, quibus fauciũ tumor receſsit, Vua ſubleuata fuit, facile'q; deglutiuit ac reſpirauit.

CVRATIO SECVNDA,

*Icteri.*

*Icterus.*

HAc ægritudine infectus diu fuit nobilis & doctiſs. uir M.

*Vuenzeslaus à Kalden-ſtain.*
*Lauginga.*

Vuenzeslaus à Kaldēſtain, prædicti Gymnaſij Ducalis Philoſophiæ Profeſſor, annos ſupra 30. natus: qui paucis pòſt annis per mulierum fallaciſs. curam & impoſturā ex hydrope, Anaſarca, piè ac placidè mortuus eſt. Hūc ego eum breui tempore DEI auxilio & medicina ſequenti curaui.

*Cholagogum.*

*Cholagogum.*

Accepi Extracti Eſulæ ſcrup. duos, ſeri lactis caprini Vnc. iiij.

Quibus commixtis, ebibit, & bilioſa multa excreuit, atq; ab Ictericia liberatus continuò fuit.

*Victus.*

Victus erat refrigerans & humectans. Et Potus in Mēſa fuit Decoctum hoc. Decoctū in Ictero.

*Decoctum.*

Rec. Fragariæ M. tres.
Paſſularum Vnc. iiij.

Decoquantur in aqua fontana, quanta ſatis eſt, & dentur potui, donec recedat aurigo. Valet enim optimè Decoctū hoc in morbo Regio.

## CVRATIO TERTIA,

*Paralyſios.* *Paralyſis.*

Experta in Nobili uiro D. Leonhardo à Kemnath in Roſenberg, &c. qui, cùm ante annos aliquot in Hœchſtettē Me- *Leonhardus à Kemnath, &c.*

tropoli Commiſſarij officia & partes nomine & mãdato Illuſtriſs. cuiuſdam Principis ſuſcepiſſet, in utriuſq; Brachij, manuum, digitorum, pedumq; Paralyſin incurrit: ad quẽ accerſitus obſeruo mala hęc ex nimia prouenire repletione. Rationẽ itaq; curandi hanc breuem inſtituo.

Cathartica.

*Catharticum 1.*

Primo die exhibeo Aquæ Benedictæ Vnc. cui aquæ fontanæ tantundem admiſceo.

Hæc potio ore multa biliosa & pituitoſa expulit.

*Catharticum 2.*

Tertio die dabam Extracti Eſulæ drach. j.

Iuris piſorum Vnc.4.
Mixtum, percolatum & expreſſum ebibit ieiunus, rectéque purgatus fuit.

*Hydroticum.* — *Hydroticũ.*

Quinto die cœpit, meo cõſilio, uti Decocto Zarſæ parilię in hunc modum pręparato.

*Zarſæ pariliæ confuſæ uncia.* — *Decoctum Zarſæ pariliæ.*

Infundatur per 24. horas in aquæ & uini ana lib. j. s. poſteà fiat Decoctio ad medium. Ex hoc mané ſumebat in lecto. Vncias ſeptem calidè, & ſtragulis cõrectus diu multũq; ſudabat.

*Phlebotomia.* — *Venæ ſectio.*

Poſt hanc ſufficientẽ & optimè cõuenientem Sudationem Baſilicam uenam aperui ma-

gno cum ſucceſſu.

*Victus.*

### *Victus.*

Victus erat ſiccans & moderatè calefaciens. Cœpit autem ex his omnibus rectè ualere, & omnium partium motus integros recipere.

*Melancholia.*

## CVRATIO QVARTA, *Melancholiæ.*

*Vlricus Root.*

*Lauginga.*

EXperta in Vlrico Root, affine meo chariſs. qui nunc quidē Secretarium agit in aula Illuſtriſs. & Pientiſs. Principis ac D.D. Phil. Ludouici, Palatini Rheni, Ducis Bauariæ, &c. D. mei clemētiſs. olim uerò natus annos 19. in ſchola Lauginga na operam literis multam aſsiduamq; nauans in Melancho-

liam,

lliam, quam uariæ tentationes comitatæ ſunt, incidit: quē Dei Opt. Max. manu & auxilio ſtatim ſanaui ad hunc modum.

*Catharticum 1.* *Catharctica.*

R. pilularum è fumo terræ drach. j.

Hellebori p̄parati grana 7.

Cum aqua bugloſſæ fiant pilulæ ſeptem, inuoluantur pul. cinnamomi: quas capiebat tribus à cœna horis. Et ex his rectè purgatus fuit.

*Venæ ſectio.* *Venæ ſectio.*

Poſtridiè Cephalicam aperuit, ex qua copioſus ater ſanguis effluxit.

*Catharticum 2.*

Septimo die priora catapo-

tia iterum accepit, & planè ab hoc malo liberatus fuit.

Victus.

*Victus.*

Interea uictum ſopui humectantē & tēperatè calefacientē.

Potus in prandio & cœna fuit uinum Decoctionis florū & radicum bugloſſæ.

## CVRATIO QVINTA,

*Melancholiæ & inſaniæ inueteratæ.*

Melācholiæ Inſania. Io. Holand. Gundelfinga.

CErtò comperta mihi in Ioanne Holand filio conſulis in Gundelfingē oppido, annos nato 24. melācholia uerò quinque annos correpto: quem ad mētis integritatem hac ſequenti uia reduxi.

Potus

*Potus melancholagogus.* *Melancholagogum.*

Rec. Syrupi è Sena Vnc.j.
ſyr. de Helleboro Vnc.15.
Decocti ſenæ ex ſero lactis caprini, Vnc.15.
Miſceantur, fiatq́ Potus, quẽ manè circa tertiam horã calidè ebibit, recteq́ purgatus fuit.

*Sternutatorium.* *Sternutatorium.*

Sequenti die uſus eſt hoc Sternutatorio: quod

Rec. Loliĳ.
Sem. nigellæ
Hellebori albi } ana ſcrup.j.

Maioranæ
Roris marini
Saluiæ } ana drach.s.

Muſci grana duo.
Fiat Sternutatorium, de quo ma-

mane ad piſi quantitatem nari bus inſpirabatur.

Tertio die recepit priorem potum Melancholagi.

Quarto & quinto die rurſus euocauit Sternutamenta.

Catapotia.

*Catapotia.*

Sexto die à cœna ſumpſit hæc Catapotia.

R. M. pilul. de fumaria aurearum. } ana drach. s.

Cort. Helleb. nigri. ſcrup. s.

Cum aqua Bugloſſæ fiant pilulæ ſeptem deaurandæ: quarum operatio bona fuit.

Phlebotomia.

*Phlebotomiæ.*

Octauo, Venam nigram ſiniſtri cubiti aperuit, ac fermè li

bram

bram ſanguinis miſit.

Nono poſt die Cephalicam ſecuit dextræ manus, è qua ſanguinis libra media effluxit.

*Victus.*

Victus præterea rationẽ talem præſcribebã: Quotidie in diluculo (exceptis diebus euacuationis) dabam tria oua recẽtia ſorbilia potui, donec aſſumpſiſſet quinquaginta & unum ouum. Vnicuiqꝫ autẽ ouo parum aſpergebã de iſto Puluere: qui Rec.

*Victus.* *Cibus artificialis.* *Puluis.*

Epithymi } Thymi } ana drach. ij.

Sacchari albiſſ. Vnc. j.

Croci grana tria.

Cinnamomi el. drach. j.

Re-

Redigantur omnia in ſubtiliſs. puluerem.

Cibi reliqui erant humectantes & temperati potius quàm calidi, quales ſunt, Capi, gallinæ, hœdi, uerueces elixi, non aſsi, neque frixi, &c.

*Potus.* Potus erat uinum tenue, albū, non uetus, in quo flores ac radices Bugloſſæ ebulliebant: atq; hoc uinum cōtinuè bibit per duos menſes. Et ſic Dei aſsiſtēte Gratia & auxilio iuuenis hic ad ſanam mētem rediſt 14. die, ac poſteà per multos annos mentis compos & integer permanſit.

## CVRATIO SEXTA,

*Ictericiæ.*

*Ictericia.*

EXperta in filiola mea Anna unicum annum nata: quam graui morbo Regio oppreſſam paucis diebus huiuſmodi Decocto ſolo curaui.

*Anna Rulandina.*

*Decoctum præſtans.*

*Decoctum & potus præſtans in morbo Regio.*

R. Hordei mũdi } ana Vnc. j.
Paſſularum }
Fragrariæ M ij.

Decoquantur ad lentum ignem in ſufficiente quãtitate aquæ fontanæ, quoad rubella fiat, ac dulcis potio, quam continuè bibebat.

## CVRATIO SEPTIMA,

### *Hæmorrhoidôn.*

*Hæmorrhoidum fluor. Rulandus Medicus. Lauginga.*

COmperta mihi ipſi, cùm ſæpenumero per multos dies, immò etiam menſes graui hæmorrhoidum uenarum fluore opprimor, adeò ut uires uacuationis huius copia deiiciat, & pro ſanguine nigro ac craſſo, ruber iam fluat.

*Sacculus. Fotus.*

Siſto autem hunc fluxũ adaptãdo crebrò alternos ſacculos calidos ex rubro pãno, & cõtuſis glandibus, uel quercinis foliis in forti aceto multum decoctis factos, quibus ocyus fluor conſiſtit.

## CVRATIO OCTAVA,

*Febris Tertianæ ſpuriæ, doloris capitis, dyſpnœæ, appetitus proſtrati, ſitis, & ſymptomatum aliorum.*

*Febris Tertiana, &c.*

EXperta in Io. Kallharti uxore, quam anno ætatis 36. ab his morbis ſtatim hac unica Potione liberaui.

*Io. Kalhart.*

*Catharticum & Vomitiuum.*

*Catharticũ et Vomitiuũ*

R. aquę Benedictæ. Vnc. j.
aquę fontis. Vnc. s.
aquæ cinnamomi drach. j.

Commiſceantur, ut fiat Potus: quo per os & aluum rectè euacuata fuit, & abſq; omni aliorum medicamentorum uſu, uenæq; ſectione confeſtim ſana facta eſt.

## CVRATIO NONA,

*Dentium doloris.*

Dentium dolor. M. Georgius Codonius. Launginga.

REuerendus, pietate & eruditione præſtans uir, D. M. Georgius Codonius eccleſiæ Catholicæ Lauginganæ Epiſcopus infeſtiſsimè olim cruciabatur Dentium dolore: tum ego ſupra dolẽtes dentes crebrò admouebam ſequentem aquã lana uel linteolo exceptam: qua ſtatim omnis dolor euanuit, & plurimum ex ore phlegmatis profluxit.

Aqua cõtra dentium dolores.

*Aquã.*

Rec. aquæ ſolatri. Vnc. iij.
Olei uitrioli Romani, quantum ſatis eſt.
Diluantur, ut acida reddatur.

## CVRATIO DECIMA,

### *Doloris acerbiſsimi oris uentriculi.*

VXor mea puerpera conquerebatur mihi de graui dolore, quem ſenſit circa os uentriculi, à quo liberata ſtatim eſt hoc modo. *Anna Rulandina. Lauginga.*

*Ius ſudoriferum.* *Ius ſudoriferum.*

Rec. Vini boni. Vnc. viij.
Vitell. ouorum num. j.

Coquantur, ut eſt artis: coctũ Ius ſine pane exhauſit, ac poſteà in lecto affluenter ſudauit per duas horas, & à tã crudeli paſsione liberata fuit.

*Fomentum.* *Fomentum.*

Intereà autem lanam oleo chamomœlino calente imbu-

tam orificio admouebam utiliter & ſalubriter.

## CVRATIO XI,

*Hydrops.*

*Hydropis, Hypoſarca, Tuſſis, aſthmatis, &c.*

Biſsingen. Io. Römer.

EXperta in Biſsingen in Ioanne Rőmer 38 annos nato: qui in Hydropem, eiusq́ue grauia ſymptomata deuenit, & ab omnibus deploratus habitus, per me Dei aſpirante gratia paucis ſequētibus adhibitis remedijs ſanitati reſtitutus eſt.

*Hydragogum.*

*Hydragogum meum.*

R. Aquę abſinthij Vnc. iiij.
Extracti Eſulæ drach. j.
Commiſceantur & fiat hauſtus, qui multas aquoſitates eduxit,

duxit, mediusꝗ́ habuit, ac om
nis tumor pręter uẽtris reſedit.

*Sudoriferum.* *Sudoriferum.*

R. gran. iuniperi contuſorum M.iij.

Vinum generoſum, quantum ſatis eſt.

Decoquantur ad medium.

Ex hoc Decocto calido potui quotidiè dabam Vnc. 6. aut plures, ut in lecto diu multũꝗ́ deſudaret.

Peractis aliquot diebus iterũ exhibui Hydragogũ: quo uentris quoque tumor, omniáque ſymptomata receſſêre, atꝗ́ his integram ſanitatem obtinuit.

*Victus.* *Victus.*

Diæta intereà regebatur cali

da & ſicca. Potus erat, Decoctũ granorum iuniperi.

## CVRATIO XII,

Vomitus. Georg. Stuber Bachagl.

*Vomitus.*

GEorgius Stuber ſarctor in Bachagl. 30. natus annos lõgo tempore uomebat quæcunque comedebat ac bibebat: cuius uomitum ſiſtebam potione iſta.

Potio.

*Potio.*

Quæ Rec. Vini Maluatici Vnc. vj.
Olei uitrioli Rom. guttas ſex.
Diluantur bené. Ex Diluto hoc capiebat quotidié mané ie

iuno

iuno ſtomacho Vnciam: quo uomitus conſtitit, cibum potum'qꝫ retinuit, ac rectè ualere cœpit.

## CVRATIO XIII.

*Stillicidij urinæ ex calculo oborti.*

*Dyſuria.*
*Agnes Giſſin in Brenz nobilis.*

NObilis uidua Agnes Giſsin in Brenz, &c. anno ętatis 63. in Dyſuriam lapſa fuit, ad quā uocatus ſequentem hauſtum exhibui: quo non ſolùm aluo purgata fuit: ſed urinam turbidam, ac craſſam copioſè reddidit, & eodem die optimè ualere cœpit.

*Hauſtus Diuretius.*

*Diureticus Potus in calculo.*

R. aquarum radicum Vr-

ticæ Vnc. ij.
Raphani Vnc. j.
Syr. roſati ſolut. Montani
Vnc. j.
Benedictę laxat. drach. iij.
Miſcentor, ut fiat Hauſtus: quem calidè per quinque horas ante cibum ſumebat.

## CVRATIO XIIII.

*Pleuritis.* *Georg. Brell.* *Dillinga.*

*Pleuritidis & eius ſymptomatum.*

EXperta in Dillingen oppido in Georgio Brell, 30. annos nato, qui paucis his medicamẽtis adhibitis ſanus euaſit in 4. diebus.

*Ruptorium.* *Vomitiuũ.*

*Vomitiuum & Ruptorium.*

℞. aquæ Benedictę Vnciã.
aquæ

aquæ Cardobenedicti Vnciam dimidiam.

Miſceantur pro Potu: quo ore & aluo multùm euacuatus, apoſtema ruptum, doloŕq; lateris leuatus fuit.

*Phlebotomia.* Phlebotomia.

Sequente die per Chirurgũ ſecari iuſsi Internam Venam eiuſdem lateris, & ſanguinem copioſè permiſi fluere, poſtquam ſanguinis miſsionẽ æger rectiùs conualuit.

*Victus.* Victus.

Erat prętereà uictus ratio humectans & refrigerans temperatè. Pro potu cõcedebam Decoctum hordei ſaccharatum.

## CVRATIO XV.

Colica.

*Colicæ paſsionis.*

Anna Teüſlin monialis.

Medingen.

ANna Teüſlin cœnobij Medingenſis ueſtalis uirgo 36. annos nata, incidit in dolores colicos, quos ſequēti Enemate non ſolùm mitigaui, ſed penitùs ſuſtuli.

Enema.

*Enema.*

Rec. fol. ſenæ Vnc. s.
Pulegij } ana M s.
Meliſſę }

Incoquantur in ſero lactis caprini, quantum ſatis eſt. Accepi Decœti huius Vnc. v.
Sacchari Vnc. s.
Olei Chamomœlini. Vnc. ij.

Ex-

Extracti Eſulæ quantitatem N. iuglandis.

Miſcebātur, & fiebat Enema: quod cùm bis inieciſſem, ſana illicò euaſit, nec dolor rediјt.

## CVRATIO XVI.

*Torminum Ventris.* *Tormina uentris.*

CHriſtophorus Vuerlin præpoſitus Monaſterij Medingenſis 35. anno ætatis ſuæ grauibus uexabatur Torminibus: quos ſolo hoc Topico remedio ſopiui. *Chriſtophorus Vuerlin. Medingen.*

*Pulticula.* *Pulticula.*

Farinę auenaceæ libram decoxi in forti aceto, quantum ſatis fuit, ad formam Pultis: quam uentri imponebam: ex qua ſta-

tim

tim doloris mitigationem perſenſit, & liber ab hoc malo euaſit.

## CVRATIO XVII,
*Maniæ, Peruigilij.*

*Mania, Peruigilium.* *Petrus Lohner.* *Lauginga.* PEtrus Lohner ſtudioſus in ſchola Laugingana Mania laborabat, & multos dies noctéſque peruigilio uexabatur, circa ætatis annum 22. quem ſanitati reſtitui Hypnotico iſto. *Hypnoticũ.*

*Hypnoticum:*

Rec. aquę roſarum Vnc. x.
Opij Drach. s.
Croci Scrup. s.

Miſceantur benè, & fiat Epithema, quod ſæpe applicabatur fronti, temporibus ac naribus; ex quo continuò dormire

cœpit.

cœpit & ad ſanitatem rediјt.

## CVRATIO XVIII,

*Pleuritidis.*

*Pleuritis.*
*Io.* Hardhau*ſer Altebaun*

EXperta in Ioanne Hardhauſer ex Altebaun, annos 52. nato; quem his paucis ſanaui.

*Potus.*

R. Extracti Eſulæ Scrup. ij.
Seri lactis Vnc. iij.
Fiat hauſtus: quo rectè multumq́ꝫ euacuatus fuit ore & aluo, meliusq́ꝫ habuit.

*Victus*

Cum cibo humectante ac refrigerāte potui, dabam Decoctum Cardomariæ & paſſularum.

CV-

## CVRATIO XIX,

*Aſthmatis, Tuſsis.*

*Aſthma. Tuſsis. Michaël Gergen, Burgen.*

EXperientia cõprobata in Michaëlis Gergen uxore grauida in Burgen.

*Catharticum.*

R. Syr. é ſena Vnc. j ß.
Decocti ſenæ Vnc. j ß.
Zingib. Scrup. j.
Bened. laxat. Drach. ij.

Redigantur in hauſtum, quo ſolo ſanata fuit.

## CVRATIO XX,

*Torminum Ventris.*

*Tormina uentris. Egolph à Riedhaim in Rẽſart, &c.*

AB his curatus per me fuit Nobilis uiri Egloph à Riedhaim, in Remſart, Hardhauſen,

Kal-

Kaldeburg, &c. filiolus Ferdinandus 9.ann.natus.

*Fomentum.* Fomentum.

Farinam auenaceã in recenti lacte coctam per ſacculos adhibebam, ſæpiusq́; mutabã, quibus dolor leuatus ſolis fuit.

## CVRATIO XXI.

*Tuſsis, ſpirandiq́; difficultatis.* *Tuſsis, Spirandi difficultas.*

EXperta in Paulo Baur è Donalden, anno 72. agente. Paulus Baur Donalden.

*Potio purgans.*

Rec. Extracti Eſulæ Scrupul. ij s.

Vini Vnc. v.

Miſceantur ut fiat Hauſtus, quem colatum frigidè bibit eiuſq;

uſque operatione ſalubri citò conualuit.

## CVRATIO XXII,

*Inſaniæ, Vigiliæ.*

Inſaniæ, Vigiliæ.
Georg. Linder. Diſchingen.

EXperientia comperta in Georgio Linder, habitante in Diſchingē, anno 40. nato: qui paucis iſtis remedijs ſanitatem adeptus eſt.

*Epithema.*

Succum ex cancris uiuis contuſis linteo exceptū ſupra frontem admoui, et quoties ſicceſcebat mutaui,

Somniferū.

*Somniferum.*

R. aquæ roſarum Vnc. x.
Opij drach. j.
Croci momentum.
Commiſceantur benè. Hoc

tem-

temporibus adhibui atq; naribus. Ex quibus & dormire cœpit, & ſanç mẽti reſtitutus fuit.

## CVRATIO. XXIII,

*Pleuritidis, ſputi ſanguinis, &c. Symptomatum.*

*Pleuritis ſputum ſanguinis.*

*Hans Panel in Dillingẽ.*

BEnè comperta in Ioãnis Pantels filia, anno 32. agente in Dilinga oppidulo: quæ illicò ex his corporis uitijs ſana euaſit per iſta remedia.

*Potio.*

R. Aquæ Benedictæ Vnc.j.
Aquæ fontis drach. vj.
Syr. uiolati ſolut. Vnc.s.
Miſcentor pro Potu, quẽ frigidè bibit, oreq; ac aluo rectè euacuata fuit.

*Venæ ſectio.*

Poſtridiè Hepaticam uenam ſecui, & ſanguinē copioſè miſi ex affecto latere.

*Victus.*

Potus in menſa erat Decoctum hordei ſaccharatum.

## CVRATIO XXIIII.

Febris ardēs. Capitis dolor. Chriſtophorus Heppelē. Dillinga.

*Febris ardentis, capitis doloris, &c. accidentium.*

EXperta Dillingæ in Chriſtophori Heppelin uxore, an. 55. nata.

*Potus purgans.*

R. Extracti Eſulæ Scrup. ij.
Decocti Centauri min. Vnc. iij.

Miſceantur pro Hauſtu: qui

morbi

morbi materiam copioſè eduxit.

*Phlebotomia.*

Altero die poſt purgationē exorto Sole internam uenā dextri cubiti aperuit.

*Epithema.*

Capitis calor & dolor reliquus leuatus fuit his aquis: quibus lintea imbuta frequenter fronti applicabat. *Epithema refrigerās.*

R. aquarū roſarū<br>
Semperuiui<br>
Solatri<br>
Burſæ paſtoris } ana unc. iij.

Miſceantur pro indicato uſu.

*Victus.*

Victus ratio conſtabat frigidis & humidis.

Potus autem continuus fuit Decoctum hordei traiectũ per rara lintea cum conſerua uiolarum. Atq; his omnibus aduerſa ægri ualetudo indies cõmutata eſt in proſperam.

## CVRATIO XXV,

*Hydrops. Anaſarca.*

*Hydropis, Anaſarca, Tuſsis, Icteri, Dyſpnœæ, & aliorum ſymptomatum.*

*Dunalten, Paulus Baur.*

VEre experta in Dunalten in Pauli Baur filio, ann. 18. habente qui grauibus iſtis malis affligebatur: ſed cùm ipſi præberem ſequens Hydragogum, mox euaſit ac optimè conualuit, ita ut alio præſidio non opus habuerit.

Hydra-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-343518-p0070-5

*Hydragogum.*

Hydragogum.

R. Extracti Eſulæ quantitatem N. iuglandis minoris.

Aquæ abſin. Vnc.iij.s.

Commiſceantur pro potu: quo calidè epoto omnẽ excreuit aquoſitatem.

*Victus.*

Victus ratio ſeruabatur calida & ſicca.

Quotidianus potus erat, Serum lactis caprini multùm coctum atq; colatum.

## CVRATIO XXVI,

### *Scotomiæ inueteratæ, Capitis dolo- ris, Icteri, & appetitus amiſſi.*

*Scotoma. Vertigo. Icterus. D. Ieremias Homberg. Lauginga.*

IEremias Homberg S. Theologiæ Doctor in ſchola Laugingana circa ætatis annũ 44. grauibus his morbis diu laborabat propter bilis abundantiã: pro quibus leuandis & pellendis, pauca ſequentia remedia adhibui.

*Cholagogum.*

Rec. Conſeruæ Eſulæ ſcrup. ij.
Vini albi tenuis Vnc. quatuor.

Mixtione facta ebibit colatam

tam hanc potionem, & billioſa multa per os ac aluum excreuit ac ſtatim remitti mala cœpere.

*Sternutatorium.*

Per ſequẽtes aliquot dies manè uſus fuit ſternutatorio: cuius deſcriptio habetur Curatione quinta huius Centuriæ.

*Phlebotomia.*

Purgato rectè corpore, internam uenã incidit, ex qua multus ſanguis (turgebãt enim uenæ) detractus fuit, & benè ualuit.

## CVRATIO XXVII.

*Phrenitidis, Sitis, Inappetentiæ, Vigiliæ, &c.*

EXperta Dillingæ in uxore Ber- *Phrenitis. Vigiliæ. Dillingen.*

Berden Frey. Berlen Freyen, agente annum 31 quam inſania affectam, Deo adiuuante, ſanitati priſtinæ reddidi adhibitis iſtis remedijs.

*Purgatio.*

R. aquę Benedictę Vnc. j.
aquæ fontis. Vnc j.

Mixtis fiat hauſtulus: quo uomitu & ſeceſſu multùm euacuata fuit.

Hypnoticum.

*Hypnoticum.*

Poſt corporis purgationem linteola ſequenti Mixtura imbuta frequenter admouebam tepidè temporibus & naribus, quo ſomnus inducebatur & Mens priſtina redijt.

Eſt autem hæc Rec. aquæ roſarũ albarũ. Vnc. vij.

Opij drach.j.
Croci ſcrup.s.
Fiat mixtura optimè reſoluto opio.

*Victus.*

Pro potu refrigerante & humectante cibo cõcedebam decoctum hordei, radicũ bugloſſæ, paſſularumq́ꝫ.

## CVRATIO XXVIII,

*Suffocationis matricis.*

*Suffocatio matricis.* *Eppēſpurg.* *Hans Veiſe.*

EXperta & probata Eppēſpurgi in uxore Ioannis Vueyſs, cùm ageret annum 40.

*Purgatio.*

℞. Syr. roſati ſoluti Montani. Vnc.j.

Trochiſ. de agarico drachmas ij.
Decocti ſenæ. Vnc. j. s.
aquæ Cinnamomi Vncias s.

Cōficiatur ex his Potus: quo uenter optimè ſolutus fuit, & ipſa rectiùs habuit.

*Balneum.*

Poſt purgationē per dies aliquot utebatur Balneo decoctionis pulegij & florum Chamomœl: quod multùm profuit.

*Balneum.*

*Victus.*

Victus ratio erat calefaciens. Vino, quod bibebat, imponebat pulegium, quod cæteris ualdè conferebat, ægramq́ue

ad

ad ſanitatem reducebat.

## CVRATIO XXIX.

*Aſthmatis.*

AB hac ægritudine uindica- uí D. Michaëlem Monachũ Cœnobij Fuldebaci annum a- gentẽ tum 41. hoc ſolo purgan- te pharmaco exhibito. *Aſthma. Michael, mo nachus in Fuldebach.*

*Purgatio.*

Rec. Decocti pectoralis. Vnc. ij. s.
Syr. de Hyſſopo Vnc. s.
Trochiſ. de agarico drac. j. ſcrup. s.
Extracti Eſulæ drach. s.
Zingiberis drach. s.

Componatur ex ijs Hauſtus, cuius operatione difficilis re-



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-343518-p0077-4

ſpiratio curata fuit.

*Victus.*

Victus intereà ratio erat calida ſicca.

## CVRATIO XXX,

*Mēſium retentio.*

### *Menſium retentorum, Tumoris faciei, &c.*

*Anna Schwerzin in Gintzburg.*

EXperta Ginzburgi in Anna Schvuerzin nata annos 21. cui his remedijs ſubuēni, ſanam'q; feci.

*Purgatio.*

R. Decocti ſenæ Vnc. j. s.
Syr. de ſena Vnc. j.
Bened. laxat. drach. iij.
Zingib. } ana ſcru. j.
Cinnamomi acuti }

Redi-

Redigātur in Hauſtum, quo aluus optimè reſpondit, & illicò melius habuit.

*Phlebotomia.*

Sequenti die ueſperaſcente Saphenas aperuit, qua ſanguinis miſsione ſanitatē obtinuit.

Adhibebam autem curationem hanc ſtatim poſt coniunctionem Solis ac Lunæ.

## CVRATIO XXXI,

*Vermium uentriculum, eiusq́; orificium lancinantium.*

EXperta in ciuis Gundelſingenſis Baumon nominati filia 14 annos nata, quæ iactata hoc malo mox liberata eſt, pur- *Vermes.* *Baumon in Gundelfingen.*

gante

gante iſto medicamento, uel potu.

*Purgans potus.*

R. decocti abſinthij. } Vnc.ij.s.
Sauinæ }
Diaturbith cum rheobarbaro drach.iij.
Extracti Eſulæ ſcrup.j.

Miſceantur, ut fiat Hauſtus, quem ebibit per quinque horas ante cibum ieiunè, & poſt uermium eiectionem conualuit.

*Victus.*

Victus ratio erat calida, ſicca, acris, amara, parca: Potui dabatur in menſa uinum abſinthites.

## CVRATIO XXXII,

*Febris Quotidianæ, Dyſpnœæ.*

EXperta Giengæ in Simonis Vualchen matre annos 84 nata: quæ ad ſanitatẽ rediijt per potionem hanc.

*Dyſpnœa. Febris quotidiana. Simon Vualch. Giengen.*

*Potio purgans.*

R. fol. ſenæ mũdatę drach. vj.
Hyſſopi M.s.
Roſarum } ana p.s.
Violarum }
Cinnamomi el. drach. s.
Sacchari Vnc. s.

Decoquantur ad lentum ignem in ſero lactis, quãtum conuenit. Ex hoc Decocto capiebat manè & ueſperi per horam

ante

ante cibũ uncias quatuor, quibus aluus rectè ſoluta eſt, multaq́ꝫ egeſsit & aduerſa ualetudo indies leuata fuit.

## CVRATIO XXXIII,

*Lateris doloris, Sanguinis reiectionis obortæ ex calcatione equi.*

*Lateris dolor.*
*Sanguinis reiectio.*
*Calcatio ab equo.*
*Bartholomæus Meulin in Gundelfingen.*

BArtholomæi Meulin ciuis Gundelfingẽſis filius annos natus 12. equo calcitrone grauiter calcatus in latere fuit, unde doluit, difficulter ſpirauit, ſanguinem reiecit, & uehementer ægrotauit. Hunc ſequenti medicina adhibita ſanum feci Dei nutu continuò.

Potio

*Potio purgans.*

R. aquæ Benedictæ Vncias s.
aquæ cerefolij Vnc. s.

Commixtis, ebibebat, & rectè purgabatur tam ore quàm aluo, ac protinùs rectiùs habebat.

*Vnguentum.*

Latus porrò affectum tertia quaq; hora perungebatur unguento hoc, quo dolor mollitus, minutus'q; fuit.

*Vnguentum.*

R. Dialthææ Vnc. ij.
Olei Amygdal. dul. Vnc. s. miſceantur

*Victus.*

Pro potu, ſuaſi Decoctum ce

reſolij cum paſſulis & liquiriſcia bibendum.

## CVRATIO XXXIIII.

Lumbrici.

*Lumbricorum per os & aluum eiectorum, lancinantiumq́ue uentrem & uentriculum.*

Matthias Beurer in Giengen.

MAtthiæ Beureri Ludiliterarij apud Giengenſes Magiſtri filius 7. annos natus per os ac aluum uermes eiecit, qui corpus miſerè infeſtabant, potiſsimum autem uentriculum arrodebāt: Huic ego ſequentē hauſtulum exhibui, qui reliquos omnes lumbricos expulit, & confeſtim, Deo annuente, ſanatus fuit.

Pit-

*Purgans potiuncula.*

℞. Extracti Eſulæ ſcrup. s.
Vini abſinthiaci Vnc. s.
Miſceantur pro hauſtulo.

## CVRATIO XXXV.

*Pleuritidis & Symptomatum.* — *Pleuritis.*

MArtinus Betzehart ciuis Giengenſis 30. anno ætatis ex graui hoc morbo citò ſanus euaſit, per hæc pauca medicamenta mea atq; conſilia.

*Martinus Bezehart. Gingenſis.*

*Potio.*

℞. aquæ Benedictæ Vnc. j.
aquæ Cardomariæ Vnc. j.
Facta mixtione ebibebat; & purganda purgabat.

*Venæ ſectio.*

Poſtero die hepaticam uenã in cubito affecti lateris inciſdit ac multus ſanguis miſſus eſt.

Victus.

Potui dabam decoctum Cadomariæ cum paſſulis.

## CVRATIO XXXVI,

Pleuritis. *Rurſus Pleuritidis & accidentium.*

Ludwig Ecker. Gienga. EXperimento ſimili comprobata Giengæ in Ludouico Ecker annos 40. habente: cui ſimiliter ſanitatem reſtitui, per Dei gratiam, ut ſequitur.

*Potio.*

R. Aquæ Benedictę Vnc. j.
Aquæ fontis Vnc. j.

Com-

Commiſceantur in Potum: quo rectè purgatus fuit per os & aluum, melior´que ualetudo facta.

*Venæ ſectio.*

Altero poſt purgationē die manè aperuit uenam Baſilicā in cubito læſæ partis, ex qua ſanguis copioſè fluxit.

*Victus.*

Potus pro reſtinguenda ſiti erat, Decoctum hordei, Cardo mariæ, paſſularum, liquiritiæ, ficuum, ſaccharíq;.

## CVRATIO XXXVII,

*Febris longæ.*

JAcobi Fleuſch, ciuis Gundelfingenſis filia annum 20. attingens, *Febris Chronica. Iac. Fleuſch. Gundelſing.*

gens, febri laborabat diuturna & longa: à qua (Deo mihi ſemper cooperante) illam liberaui ſolo iſto Hydrotico:

*Hydroticum ad febres expertum.*

Quod R. florum Centaurij min. M j s.
radicum aſari M j.

Decoquantur in ſ.q. aquæ, ut conuenit.

Decocti huius calentis quotidiè in lecto bene contecta exhauſit Vnc. vj. quibus diu multum'q; ſudauit: & hoc ita continuato conualuit in 14 diebus.

*Aſthma.*

## CVRATIO XXXVIII, *Aſthmatis.*

*Maria Höchtin Gundelfingæ.*

EXperta Gundelfingæ in Maria Hechtin 54 annorũ aſthmaticas

matica: quam, Deo benedicente, purgante ſequenti potu feliciter ac citò ſanaui.

*Potus purgans.*

R. decocti pectoralis Vnc. iij.
Benedictæ laxat. drach. j.
Trochiſ. de agarico ſcru. ij.
Extracti Eſulæ ſcrup. j.

Redigantur in hauſtum: quo aluus rectè reſpondit, rectiusq́ꝫ ualuit.

## CVRATIO XXXIX,

*Orthopnææ.*

IOan. Schvuaybach 34 annorum ciuis Gundelfingẽſis frequenti affligebatur anhelatione, nec poterat niſi recta ceruice ſpirare, aderat ſitis, tuſsis, etc. *Orthopnœa. Io. Schwaibach. Gundelfinga.*

Huic illicò opem ferebam ſalutiferam exhibito ſolo iſto hauſtu.

*Hauſtus purgans.*

R. Decocti pectoralis Vncias iij.

Extracti Eſulæ ſcrup. ij.

DIluãtur, potioniq́ꝫ exhibeantur. Hac rectiſsimè ore & aluo purgatus fuit atque conualuit.

## CVRATIO XL. *Aſthmatis.*

*Aſthma.*

*Laurentius Drechſell Paſtor in Gundelfingen.*

REuerendi & perdocti uiri D. Laurentij Drechſelij eccleſię Gundelfingenſis paſtoris uxor honeſta ac pia patiebatur anhelationē difficilem, laborioſam tuſsim, capitis dolorem, &c.

quam,

quam, Deo adiuuante, indies ſaniorem effeci, purgante hoc decocto.

*Decoctum purgans.*

Rec. fol. Senę mundatæ drach. vj.
Paſſularum Vnc. s.
Sacchari Vnc. s.
Zingiberis drach. s.

Macerētur per noctem in feruentis ſeri lactis caprini rectè præparati lib. j s. poſteà ex Infuſione hac manè capiebat Vnc. iiij. calidè, & totidē uеſperi ante ingreſſum lecti. Qua iterata aluus quotidiè rectè reſpōdit, & optimam ualetudinem conſecuta fuit.

## CVRATIO XLI, Pleuritidis.

*Pleuritis.*

*Gletth.*

*Bartholomæus Vuagner.*

EXperta in Gleth pago, ubi Bartholomęi Vuagner uxor an.41. lateris inflãmatione corripiebatur. Nam pungens dolor latus exercebat, febris aderat acuta & continua, ſpirandi difficultas, tuſsiſq́ꝫ, &c. Hæc abſqꝫ ſanguinis miſsione curata à me fuit hac ſalubri & ſuaui Potiuncula.

*Potio purgans.*

R. aquę Benedictæ Vnc. j.
aquę Cardomarię Vnc. s.
Syr. uiolati ſol. Vnc. s.

Fiat ex horum mixtione Hauſtulus: quo per os & aluum pur

gata

gata fuit pro exoptato ſine, obtinuitq́ ſanitatem.

*Victus.*

Potus reliquus cõpetens fuit Decoctum hordei ſaccharatũ.

## CVRATIO XLII.

*Pleuritidis, Sputi ſanguinis, &c.*

PRobata experientia in Martino Zug ciue Giengẽſi 26 annos nato pleuritico, grauiter decumbente: quem DEI adſpirãte miſericordia perpaucis diebus ſanum feci in hunc modũ.

*Pleuritis. Sputum ſanguinis. Martin Zug. Gienga.*

*Infuſum præparans & ſoluens.*

*Infuſum præparans & ſoluens.*

R, fol. ſenę mũdatę drach. vj.

Cardo-

Cardobenedicti M.s.
Sacchari Vnc.s.
Zingiberis drach.s.

Infundãtur per noctem in feruentis ſeri Lactis caprini lib.j s. Ex hoc manè & ueſperi ſumebat Vnc. iiij. calidè, quibus aluus rectè ſoluta, ſputum facilè euocatum, pectus dilatatum, abſterſumq́; fuit & melius continuò habuit.

*Phlebotomia.*

Poſt tertium diem quàm purgatus eſt, uenam meo conſilio Hepaticam incidit.

*Victus.*

Potus in menſa erat Decoctũ Hyſſopi, uiolarum, glycyrrhizæ cum paſſulis atq; ſaccharo.

## CVRATIO XLIII,

*Eryſipelatis ulcerati.*

*Eryſipelas ulceroſum. Bernhardus Mayr. Hirben.*

BErnhardus Mayr annos 68. natus, traducens uitã in Hirben, patiebatur exulceratũ Eryſipelas pedes corripiens comitante magno dolore ac tumore, appetitus quoque amiſsione, &c. Cui optimè ac citò ſubueni eiuſmodi remedijs.

*Purgatio.*

Primò expurgebam corpus per hanc potionem.

R. Syr. roſ. ſolut. Montani Vnc j.
Extracti Eſulæ drach. s.
Decocti pectoralis Vncias j s.

Com-

Commiſceantur. Potui daba-tur benè manè.

*Lotio pedũ in Eryſipelate.*

*Lotio pedum.*

R. Roſarum M. iiij.
Plantagionis M. iij.

Bulliant aliquantiſper in aqua, quanta ſatis eſt.

In hanc tepidam manè & ueſperi pedes immittebat affectos: tandem extractos ac molli linteolo aſperſos & ſiccatos bis quotid è ſequenti unguento inungebat.

*Vnguentum refrigerans et cõſolidãs.*

*Vnguentum refrigerans & Conſolidãs.*

Rec. Lithargyrij Vnc. iij.
Vng. populeôn.
Ceruſſæ ablutæ
Infrigidãtis Gal. } ana Vnc. s.

Olei

Olei roſati cõpleti Vnc.j.
Permiſceantur, omniaq́ue in mortario benè ducantur, donec fiat unguentum, ut eſt artis. Ex his omnibus in octo diebus ſanitatem conſecutus eſt.

## CVRATIO XLIIII,

*Stranguriæ, Stillicidij urinæ, ſeu difficultatis.*

*Stranguria. Vrinæ difficultas. Holtzen. Leonhardus Holtz ſchuch. Potio Diuretica, Cathartica.*

VEra & experta in Holzen pago in Leonhardi Holtz ſchůch filio anno 20. lapſo in hunc morbum: cui ſequentia remedia inueniebam.

*Potio Diuretica, Cathartica.*

℞. aquarum radicum Verticæ Vnc. iij.

raphani Vnc j.

Benedictæ laxat. drach. ij.

Extracti Eſulæ ſcrup. j.

*Balneum in ſtranguria.* *Raphani uis occulta & mira.*

Componatur ex his hauſtus: quem capiebat calidè in Balneo decoctionis Raphanorũ. Ingreſſus autem in Balneũ uirgam totam præputio refracto in raphanum maiorem excauatum immiſit.

*Victus.*

Vice potus propinabam Decoctum hoc: quod R. radicum urticarum contuſarum Vnc. iiij.

Raphani inciſi Vnc. ij.

Incoquantur in uino, quantũ ſufficit. His itaque omnibus ritè adminiſtratis continuò ac expeditè

peditè meiere cœpit ac bellè habuit.

## CVRATIO XLV,

*Febris cum uomitu* — *Febris.*

VEre experta in Pauli Vuide man filio annos 19. nato, degẽteq́; in Holzen & uehementer ægrotante: qui, mirùm, per ſolum hunc Hauſtulum ex inſperato ad ſanitatem, DEO fauente, ſubitò rediјt.

*Vomitus.* *Paulus Vuideman.* *Holtzen.*

*Hauſtulus Holagogus.* — *Holagogus hauſtulus.*

℞. Aquę Benedictę drach. vj.
Aquæ fontis Vnc. s.

Commiſcentor pro Hauſtulo, cuius operatione ſanitatem recepit.

*Victus.*

Potui dabam uinum abſin-

chiacum, & uinum aquæ pauxillo dilutum.

*Aſthma, Tuſsis, Sitis, Inappetentia.*

*Brizelmayr Holzen.*

## CVRATIO XLVI,

### *Aſthmatis, Tuſsis, Sitis, Appetus amiſsi.*

EXperta in Holzen in Britzelmayri filia 16. annos nata: à qua ægritudines iſtas, DEO adiuuante, repellebam per hãc ſolam potionem.

*Potio purgans.*

R. decocti pectoralis Vnc. j s.
Trochiſ. de agar. drach. j.
Extracti Eſulæ ſcrup. j.
Syrupi de ſena drach. iij.

Conficiatur ex his Potio: cuius operatione reualeſcebat in dies.

## CVRATIO XLVII,

*Febris quotidianæ, Aſthmatis, Tuſsis.*

*Febris quotidiana. Aſthma. Tuſsis. Michaël Zeyſemair. Hechſtett. Infuſum purgans.*

MIchaëlis Zeyſemair ciuis in Hœchſtett Oppido uxor agens annũ 60. paſſa eſt hæc mala, à quib. citò liberata fuit per ſequens Infuſum.

*Infuſum purgans.*

R. foliorum ſenæ mundatæ Vnc. j.
Trochiſ. de agar. drach. ij.
Roſarum } ana P. s.
Violarum }
Sacchari Vnc. s.
Zingiberis drach. s.
Seri lactis lib. ij.

Miſceantur & facta ebullitio ne macerentur per noctem in calente ſero. Deinceps manè ac ueſperi accipiebat ex hoc Vnc. iiij. quibus rectè purgata fuit & optimè conualuit.

CVRATIO XLVIII,

*Dolor Arthriticus. Vitus Keſmayer. Hafenhofen.*

*Arthritici doloris.*

EXperientia probata in Vito Keſmayer, annos nato 42. cõmorante in Hafenhofen.

*Purgatio.*

Rec. Decocti aperitiui min. Vnc. ij.

Syr. roſati ſolut. Montani Vnc. j.

Extracti Eſulæ drach. s.

Zingiberis ſcrup. j.

Mixta

Mixta dabam potui, quo recte aluus reſpondit.

*Balneum.*

Poſt euacuationem utebatur tali Balneo. *Balneum ad tentionem et dolores mitigandos.*

R. Aluminis crudi M.j.
Salis M.ij.

| | |
|---|---|
| Plantaginis<br>foliorũ quercinorum<br>Ramentorum ligni Iuniperini | ana M.v. |

Mixta coquantur omnia in aqua fontana, quanta ſatis eſt ad Balneum. In hoc ægrotus quotidie bis, mane & ueſperi ſcilicet, reſidebat ad duas horas: & tertio quoque die reno-

uabat: atq; breui tempore ſanitati reſtitutus fuit. Deo Archiatro ſoli laus eſto.

## CVRATIO XLIX.

*Pleuritidis nothæ.*

*Pleuritis notha. Lauginga. Melchior Vualch.*

EXperta Laugingæ in Melchiore Vualch ciue Lanio 24 annos nato: qui mox conualeſcebat ex morbo hoc per hãc potionem ſolam.

*Potio.*

R. Decocti paſtoralis Vnc. j. ſ.
Syrupi è ſena Vnc. ſ.
Extracti Eſulæ drach. ſ.
Fiat ex his hauſtus: cuius ſalubri operatione curatus illicò fuit.

## CVRATIO L,

*Ventris doloris.* *Ventris dolor.*

PRobata Laugingæ in Ioãnis Vlrici Piſtoris uxore 21. ann. nata: Cui hoc unico hauſtu ſub uêni. *Io. Vlricus. Lauginga.*

*Hauſtus purgans.*

R. decocti ſenę } ana Vnc. ij.
Syrupi è ſena }
Benedictæ laxat. drach. j ſ.
Zingiberis drach. ſ.
Diluantur & propinentur.

## CVRATIO LI,

*Pleuritidis mendoſæ & ſpuriæ.* *Pleuritis notha.*

EXperta Laugingæ in Georgio Stromayr Balneatore 34 *Lauginga. Gerg. Stromayer.*

annos nato: quē ſanum facie-
bam in hunc modum.

*Purgatio.*

R. Decocti pectoralis Vnci. j s.
Syrupi è ſena Vnc. s.
Extracti Eſulæ drach. s.

Redigantur in potum, quo & aluo & ore multa uaria'que reiecit, ſanum'que hominem reddidit.

*Phlebotomia.*

Verùm altero die ex Mediana uena eius lateris, quod affligebat dolor, ſanguinem extrahere & ad uncias decem fluere iuſsi.

## CVRATIO LII,

*Hydropis, Vermium, Tuſsis, uomitusq́.* [Margin: *Hydrops. Vermes.*]

LEonhardi Maurer ciuis Laugingani filius 4. attingens annum patiebatur in teſtibus, ac toto corpore malignũ tumorem ex ichoribus, tuſsiebat, crebrò uomebat, uermesq́ per uomitum emittebat: quem ab his omnibus malis in 7. diebus liberaui, Dei ſemper pijs aſſiſtente gratia per hanc Potiunculam. [Margin: *Lienhart Maurer. Lauginga.*]

*Purgatio Hydragoga.* [Margin: *Hydragogum.*]

R. Extracti Eſulæ ſcrup. s.
Aquæ abſinthij Vnc. j.

Mixta potui dabam, tertioq́

die repetebam. Egerebat hac potione repetita omnes aquoſitates & uermes: & poſt egeſtionem hanc uomitus conſtitit, tuſsis'que remiſit ac tumor euanuit.

## CVRATIO LIII,

*Inappetẽtia Spirandi difficult. Capitis dolor.*

*Appetitus proſtrati, Spirandi difficultatis, Capitisq́; doloris.*

*Ottho Baur. Lauginga.*

COmperta in Otthone Baur ciue Laugingano 50. annos nato: cui opem medicam auxilium'que ferebam per hunc potum.

*Potus purgans.*

R. Decocti pectoralis Vncias ij.

Syrupi

Syrupi roſati ſolut. Montani Vnc. j.

Diaphæmidnos drach. iij.

Extracti Eſulæ ſcrup. s.

Componatur ex his hauſtus, quo multùm ſolutus fuit & ad ſanitatem rediјt.

## CVRATIO LIIII,

*Achorum, Capitis'ue ulcerum.*

*Achores. Capitis Vlcera.*

REuerendi, pietate ac doctrina præſtantis uiri D. M. Georgij Codonij Eccleſiæ DEI Catholicæ epiſcopi Lauingani filius Seuerinus nominatus annum ætatis ſuæ circiter 15. capitis uexabatur ulceribus, quæ ἀχῶρας Græci appellant, contra

*Georgius Codonius Laugingnus Epiſcopus.*

*Lixiuium ad capitis ulcera.* hæc ſequens Lixiuium inueniebam.

Rec. Abſinthij
Florum Chamomælini
Serpilli
Matricariæ } ana M.s.

Baccarũ lauri
Rad. yreos } ana Vn. j.

Rad. aſari Vnc. j s.

Incidantur, & Sacculo condita coquantur in Lixiuio ex ligni iuniperini cinere facto. Hoc Luna decreſcente caput lauabatur quotidiè, ac breui ſanitatem recuperabat.

## CVRATIO LV,

*Pleuritidis, linguæ inflammationis, aluiq́ obſtructionis.*

VRbani Vueingartneri uxor in Luzingen circa ætatis annum 40. Pleuritico morbo corripiebatur accedẽte linguæ ardore uehementi, & conſtipatione alui per 8. dies durante: cui medicas adhibui manus his paucis rebus.

*Pleuritis. Linguæ ardor, alui obſtructio. Vrbanus Vueingartner. Luzingen.*

*Purgatorium medicamentum.*

R. Extracti Eſulę ſcrup. ij s.
Decocti ſenæ Vnc. iij.

Commixta ſumebat & mox per os atq́ aluũ multa uariaq́ reddebat, ac illicò rectius habebat,

bat, & dolor ac omnia remiſſa erant.

Gargariſmus in ardore linguæ.

*Gargariſmus.*

Linguæ porrò ariditatem remouebam Gargariſmate hoc.

R. Semperuiui M ij.

Decoquātur in aquę libris ij. ad tertias. Colato iuri admiſceantur aceti Vnc. ij. & fiat ex his Gargariſma: quo calidiuſculè utebatur ægra ſæpiùs & quotidiè.

*Linctus.*

Poſt Gargarizationem mel roſatum lingendum deglutiendum'que dabam. Atque ſic linguę nigredo recedebat.

*Victus.*

Victus ratio erat humectans &

& refrigerans, Potus, Decoctū fuit hordei, quod

*Decoctum hordei refrigerans, ualens in morbis calidis.*

℞. Hordei mundi Vnc.ij.
Roſarum } M.
Violarum } ana P.j.s.
Liquiritiæ Vnc.s.
Ficuum num. vij.
Paſſularum Vnc.iiij.

Decoquantur in aquæ menſuris, quot conueniunt, ad tertias.

## CVRATIO LVI,
### *Aſthmatis, Tuſsis, Anorexiæ, Sitis.*

*Aſthma. Tuſsis. Anorexia. Sitis. Martinus Schlumperger.*

MArtinus Schlūperger Laugingæ incurrit in has ægritudines cùm eſſet annorum, 18. quas auertebam ab eo his paucis pharmacis, quæ ſequuntur.

*Cathar. Lauginga.*

*Catharcticum.*

Rec. Decocti pectoralis Vnc. ij.

Extracti Eſulæ ſcrup. ij.

Paretur ex his Potiuncula: qua ore & aluo multa pituitoſa, biliosa, & maleolentia reiecit, atque rectiùs habere cœpit.

*Sudoriferum.*

*Sudoriferum.* Poſt hanc purgationem per ſequentes aliquot dies meo monitu ſudabat manè in lecto ex ſequenti Decocto: è quo ebibebat Vncias v calidè, ac poſt ſtragulis contectus, diu multumq; ſudabat, & indies ſanior euadebat.

R. florum Centaurij minoris M. iij.

Deco-

Decoquantur in aqua fontana, quanta ſufficit uſque ad dimidias.

## CVRATIO LVII,

*Pleuritidis, Vomitusq́;.*

*Pleuritis. Vomitus. Lauginga, Pfaffanna.*

LAugingæ uidua, cui nomen erat Pfaffanna, nata annos 58. conflictabatur dolore laterali graui ac perniciali: quem comitabantur uehementia ſymptomata, præſertim creber uomitus & anxietas circa præcordia, &c. quæ omnia, DEI beneficio & gratia, compeſcebam his paucis, quæ ſequuntur remedijs.

*Purgatio.*

℞ Aquę Benedictę Vnc. j.

Aquæ fontis tantundem.

Permixtas ebibebat manè frigide, & paulò pòſt egeſsit ore ac aluo uitioſa multa atque uaria: ex quorum egeſtione uomitus ſuppreſſus eſt, & dolores ſedati illicò ſunt.

*Venæ ſectio.*

Cæterùm altero poſt Purgationem die per ſectionem uenę Medianæ dictæ ſanguinē pondere octo unciarum detraxit: qua integræ ſanitati reſtituta fuit.

## CVRATIO LVIII.

*Sanguinis fluxus per nares.*

*Sanguinis fluxus per nares. Io. Voith.*

IOannis Voithi filius, natus annos 18 cum in ſchola Lauginga-

gingana honeſtis literis operã daret, incidit in ſanguinis ingentem, copioſum, et continuũ fluorẽ: ad quẽ accerſitus, ſanguinem cohibui hoc Epithemate. *Lauginga.*

*Epithema, Pulticula.* *Epithema ſiſtens ſanguinem.*

R. Argillæ uſtæ M.ij.

Aceti acris lib.j.s.

Permiſceantur ad formã pultis: quam duplici linteo inductam fronti atq; ceruici crebrò admouebam actu frigidam, unde fluxus deſijt, & intra duas horas conualuit. *Pulticula.*

## CVRATIO LIX,

*Pleuritidis & Symptomatum.* *Pleuritis.*

EXperta Luzingæ in Caſparo *Luzingen.* *Caſpar Rüſ*

ro Ruff 28. annos nato: quem lateris inflãmatione affectum ſanũ feci per hoc ſolùm Hydroticum, Deo annuente.

*Hydroticũ in Pleuritide.*

*Hydroticum.*

R. florum centauriæ min. M. ij.
Radicum Aſari. Vnc. j s.
Decoquantur in ſufficient. quantitate aquæ ad dimidias. Ex decocto hoc Vnc. v. calide dabã potui quotidiè in lecto, ubi corpore benè cooperto ſudor manabat plurimus, ex quo rectiùs indies habebat, & intra 7. dies ex toto ſanatus eſt.

## CVRATIO LX,

*Tonſillarum & Columellæ inflammationum.*

*Tonſillarum Vuulæq; inflammatio.*

NObiliſs. uiri D. Cypriani à Leovuiz,&c. Mathematici præſtantiſs. & in illuſtri ſchola Laugingana Profeſſoris eximij uxor optima, patiebatur circa ætatis annum 37. Tonſillarum tumorem, columellæq; laxitatem ac inflammationem, difficulter ſpirabat, cum moleſtia & impedimento deglutiebat, rauca uox erat, ruborq; genarum, &c. ad quam uocatus tum, Gargariſma ipſi ſequens facio: quod non ſolum opem auxiliumq; contra mala hæc fe

*Cyprianus Mathematicus Lauginganus.*

 rebat,

rebat, nec alia medicamenta opus erant.

*Gargariſma ad Tonſillarum & Vuulæ inflãmationem.*

*Gargariſma.*

R. florũ prunellæ, Saluiæ — ana M.j.
Granorum myrtill. Vn.j.s.
Decoquãtur in uini rubri & aquæ — ana.li.ij.
ad medium: horum iuri colato admiſceatur Diamôron Vnc.j s.
Fiatq; Gargariſma, quo ſæpius utebatur quotidiè tepidè.

## CVRATIO LXI.

*Ventris dolor.*

*Ventris doloris.*

*Lauginga. Sebaſtianus Coruinus.*

EXperta Laugingæ in ornatiſs. uiro D. M. Sebàſtiano Coruino, Philoſophiæ in prædicta

dicta ſchola Profeſſore: qui circiter annum 24. de uentris dolore diuturno conquerebatur: quem tollebam ſolo hoc purgante pharmaco.

*Purgatio.*

R. Extracti Eſulæ ſcrup. j. s.

Hoc inſumpto aquam frigidã deſuper bibit, & mox poſt ſumptionem aliquoties egeſſit atq; mox ſanatus fuit.

## CVRATIO LXII,

*Pleuritidis.*

*Pleuritis. Launinga. Gieſſenberger Ceruiſiarius.*

EXperta Laugingæ in uxore Giſſenbergeri Cereuiſiarij nata annos 31. quæ perſequentia pauca remedia ſana intra paucos dies euaſit.

*Vnguentum.*

R. Vnguenti Dialthææ
Vnc. ij.
Olei amygdal. dulcium
Vnc ſ.

Permiſcentor Hoc Vnguento tertia quaq; hora latus dolorem ſuſtinẽs perungebatur, ac dolor mitigebatur.

*Purgatio.*

Inuncto bis latere propinabam potionem, quæ
R. Aquę Benedictę Vnc. j.
Aquæ fontanæ Vnc. j.
Dilutas ebibebat, multáque tam ore quàm aluo reijciebat, & dolor poſt hanc euacuationẽ quieſcebat.

*Venæ*

*Venæ ſectio.*

Vt autem penitùs liberaretur à malo, ſequenti die manè iuſſu meo ſanguinem multum emiſit per ſectionem uenæ Baſilicæ in affecti lateris cubito.

*Victus.*

Victus erat humectans & refrigerans.

Potus uerò, Decoctum hordei: cuius mẽtio facta eſt in Curatione 55.

*Lictus.*

Porrò ante & poſt cibum lingendum frequẽter dabã Loch ſanum & expertum. Atque ſic, laus Deo, ſana ex toto euadebat.

## CVRATIO LXIII,

*Strumæ.*

*Struma.* *Io. Regerlen.* *Lauginga.*

D. Io. Regerlen cum anno ætatis 18. in Inclyta ſchola Laugingana uerſaretur in pietatis, humanitatis ac bonarum literarum ſtudijs, paſſus eſt in collo ſtrumam, uulgò Scrofulam, Græcè χοιράδα appellatã: quam ego Deo me adiuuante extirpabam, ac penitùs diſcutiebã ſequenti uia ac ratione.

*Purgatio.*

Curandi adoleſcẽtem hunc rationem ſum exorſus ab Oppoſitione Solis & Lunæ Luminum cœleſtium. Et primò quidem paraui hæc Catapotia.

*Cata-*

*Catapotia.*

Rec. M. pilul. Cochiarum drach. s.

Aromat. ſcrup. j.

Corticum Hellebori nigri præparat. grana iij.

Cū ſyrupo de Helleboro fiant Pilulæ vij.

Inuoluantur pulueri cinnamomi. Has ſumebat à cœna, multum'que egerebat.

*Emplaſtrum.*

R. Coaguli lib. j.

Brodium Caſeatū, quanto opus eſt.

Coquātur in pultis formam: quā manè ac ueſperi ſupra ſtrumoſum collum calidè applicabat quotidiè.

*Potio.*

*Potio.*

R. Spongiæ uſtæ Vnc. iij.
Piperis grana centum.

Paretur ex his puluis: qui coquatur in uino albo, (quantum conuenit) in quo priùs radices Ebuli decoctæ ſint, ad tertias: poſteà colatum Ius reſeruetur in uaſe uitreato obturando, reponendóque in loco frigido. Poſt uſum autem pilularũ quotidiè tria exhauſit ex hoc decocto uino pocula pondere Vnc. v. Vnum manè, alterum poſt prandium, tertium à cœna.

*Purgatio.*

Quinto quoq; die exhibebã ſuprà annotatas pilulas.

*Victus.*

Potus in mēſa reliquus, præter Decoctum ſeu potionē præſcriptam concedebatur uinum bonum, purum, odoriferum. Cibos omnis generis ſiccantes permittebam. Euitabat uerò omnia olera, piſces, fruges, iuſcula, cæteraq; humectātia. Atque ita continuabam hanc totam curandi rationē omnibus diebus à plenilunio uſq; ad nouilunium, prætermiſsis totius coniunctionis dieb. Et ſic quidem intra ſpacium 40. dierum tota Struma omninò diſcuſſa ac reſoluta fuit: nec ab annis iā multis grauis, odioſus & ferus iſte morbus reuertit, Sed æger

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-343518-p0127-2

ger híc affectus nũc optima ualetudine meritum iſtud & gratiam DEO Opt. Max. ſacris ſuis officijs perſoluit: quibus Eccleſiæ Sanctæ ac Catholicæ ſumma cum fidelitate præeſt.

## CVRATIO LXIIII,

*Pleuritis.* *Lauginga.* *Thomas Frölich.*

### *Pleuritidis.*

EXperta Laugingæ in filio Thomę Frölich ciuis nato annos 14. cui medebar hac potiuncula.

### *Potio.*

℞ Extracti Eſulæ ſcrup. j.
Aquæ Cardomariæ Vncías iij.

Dilutam bibebat, & nõ longè poſt ore ac aluo peccantem mate-

materiam reddidit, & mox conualuit.

*Victus.*

Potus locó concedebã Decoctum hordei: de quo lege Curationem 55.

## CVRATIO LXV,

*Rurſus Pleuritidis.* *Pleuritis.*

EXperta in Engelharti ciuis Laugingani uxore 44 annos nata: quæ uno die liberata fuit à morbo hoc per hanc potionem. *Engelhart ciuis Lauginganus,*

*Potio.*

R. Aquæ Benedictæ } ana Vnc j.
Aquæ fontis }

Commixtus ebibit, & rectè

ore

ore atque aluo purgata fuit ualuit.

## CVRATIO LXVI.

*Pleuritis.* *Adā Bruckmaiſter.* *Lauginga.*

*Eiuſdem morbi Pleuritici.*

EOdem experimento contra hunc morbum optimo & omnium aliorum medicamentorum certiſsimo probata Laugingæ in Adam Bruckmaiſter annos 42 habente.

*Potio certiſs. & optima contra Pleuritidē.*

*Potio.*

R. Aquę Benedictæ, Aquæ fontis } ana Vnc. i.

Diluantur. Hanc potionem frigidè aſſumebat, qua & multa euomuit, aluusq; optimè ſeceſsit, ac rectè ualere cœpit.

Sectio

*Sectio uenæ.*

Vt confirmaretur ualetudo à morbo, ſequēti die, iuſſu meo, uenam communem pertundebat & ſanguinem copioſè euacuabat.

## CVRATIO LXVII,

*Tumoris Faciei, totiusq; Capitis, Spirandi difficultatis, Tuſsis, Sitis, & Anorexiæ.*

LAugingæ Caſparus Fedderlin natus annos 38, implicitus fuit omnibus his ægritudinibus: à quibus ipſum uindicabam per hoc ſolū Catharticū.

*Tumor Faciei, Capitis. Spirandi difficultas. Tuſsis, Sitis, Anorexia. Lauginga. Caſpar Fedderlin.*

*Catharticum.*

R. Decocti pectoralis Vnci. j. s.

Syrupi Roſati ſolut. Montani Vnc. s.

Diaturbith cũ Rheobarbaro drach. ij.

Extracti Eſulæ drach. s.

Diluantur, ut fiat Potus: quo aſſumpto plurimùm euacuatus eſt, & ex toto à morbis his leuatus fuit.

## CVRATIO LXVIII.

*Pleuritis. Matthæus Mãner Medlingenſis.*

*Pleuritidis.*

EXperientia cõfirmata Medlingæ in Matthæo Manner nato annos 30. cui ſubueni hiſce remedijs.

*Vnguentum.*

Rec. Vnguent. Dialthææ Vnc. ij.

Olei

Olei Amygdal. dulcium Vnc. s.

Miſceantur ut fiat unguentum: quo malè affectũ latus tertia quaq; hora perungebatur.

*Potio uera & expertiſs.*

*Potio uera & expertiſs. in Pleuritide.*

R. Aquæ Benedictæ Vnci. j.

Aquæ fontanæ drach. vj.

Diluantur. Exhibebā iſtam potionem ſtatim poſt primam Vnctionem: cuius operatione dolor lateralis ex toto leuatus fuit.

*Venæ ſectio.*

Tertio poſt die ſanguinē mittebat ſecta uena Baſilica in cubito affecti lateris.

*Victus.*

Cum cibis humectātibus & refrigerantibus Potus loco bibebat Decoctum hordei, cuius deſcriptio eſt in Curatione 55. Atq; ſic perfecta huius morbi ſanatio fuit intra 9. dies.

## CVRATIO LXIX.

*Aſthma. Ventris fluxus.*

*Aſthmatis, Ventris fluxus.*

*Martinus Sarctor, Eccleſiaſtes in Memmingē.*

M. Martinus Sarctor Eccleſiaſtes in Memminga pago iuxta Giengam oppidū ſito, uir doctus & pius conflictabatur ante annos aliquot, cum ageret annum 42. ſpiratione perdifficili, tantaq; pectoris grauitate, ut pro-

propter anguſtiam fermè ſuffo caretur: preterea aluus iam diu profluere cœperat fluxu, quem Græci διάῤῥοιαν uocāt, quo atra bilis multa uacuabatur. Ego expetenti à me ſanum conſiliū ægroto Domino ita ſum oppitulatus.

*Catharticum.*

R. Syrupi è ſena Vnc.j.

Hoc epoto, reliquos humores uitioſos expulit ſine moleſtia, & indies cōualuit optimè.

*Victus.*

Pro potu concedebam Decoctum Hordei: cuius fit mentio in Curatione 55.

CVRATIO LXX,

*Aſthmatis, Tuſsis, &c.*

*Aſthma. Tuſsis. Iac. Rauch Offingen.*

EXperta eodem in loco: ubi Iacobi Rauch filiam, annos natam 23. ab his malis corporis liberaui per hanc unicam potionem auxiliante Deo.

*Potio.*

R. Decocti ſenæ } ana Vnci.j.s.
Syrupi è ſena }
Zingib. drach.s.

Permiſceantur, ut fiat hauſtus: quo ſtatim euaſit ſana.

CVRATIO LXXI,

*Aſthmatis, Tuſsis, Anorexiæ.*

*Aſthma. Tuſsis. Martinus Rumelen, Offinganus.*

MArtinus Rumelen ruſticus uitam ducens in Offingen pago,

pago, circiter ætatis ſuæ decrepitæ annum centeſimum grauiter opprimebatur hiſce malis corporis: ad quæ leuanda ſanum cōſilium ac ſalutaria à me remedia expetiuit. Hunc ego, licet in exacta & decrepita ætate exiſtentem, Deo benedicente, adiuui hac ſequēti potione.

*Potio.*

R. Decocti pectoralis Vnci. iij.
Trochiſ. de agarico drac. j.
Extracti Eſulæ ſcrup. j.
Syrupi de liqritia drac. ij.
Componatur ex iſtis Potio: cuius Energia indies à lōga ualetudine ac graui ſeſe recollige-

bat ac reualeſcebat ægerrimus ſenex.

*Victus.*

Pro potu concedebam uinũ iuniperinum: Cibum autem calefacientem & humectantem.

CVRATIO LXXII,

*Febris tertiana.*

*Febris Tertianæ, linguæ ardoris.*

*Vuilhelmus Stelin in Medlingen.*

EXperta & probata in Vuilhelmi Stelin Medlingenſis uxore annos 60. nata: quam ab his ægritudinibus liberaui ad huncmodum.

*Purgatio.*

R. Aquę Benedictæ } ana Vnc. j.
Aquę fontanæ }

Fiat

Fiat Potio, quam 6 horis ante paroxyſmum exhauriebat frigidè, multa'que biliosa tam ore quàm aluo reddebat, & cõfeſtim à febri libera euaſit, linguę'que inflammatio facta eſt remiſsior.

*Gargariſma.*

*Gargariſma in linguæ ardore.*

R. Semperuiui M. j.
Aceti Vnc. iiij.
Aquæ fontanæ ℔ j. s.

His mixtis fiat Decoctio ad tertias. Vtebatur hoc Gargariſmate ægra ſæpiùs. Nam eo reprimebatur inflammatio penitus & ocyus.

*Linctus.*

*Linctus in ardore linguæ.*

Poſt gargariſationem lingendo ſyrupum uiolatum ſimpli-

cem aſſumebat: quo calor quoque ualdè obtundebatur.

*Venæ ſectio.*

Ad hæc, meo monitu, altero poſt purgationem die ſanguinem è Baſilica uena emiſit pondere ſex unciarum: qua miſsione Curationi huic Colophonē addidi felicisſimè.

## CVRATIO LXXIII.

*Capitis ingens dolor.*

*Capitis doloris infenſiſsimi.*

*Bartholomæus Bengeſſer.*

*Ober Medling.*

BArtholomæus Bengeſſer agricola in ſuperiore Medlinga degens anno ætatis 31. cruciabatur ſæuiſs. capitis dolore, cōtra quem atrocem morbū ego pauca hæc remedia adhibui.

*Purgatio.*

*Purgatio.*

R. Aquę Benedictæ } ana Vnc. j.
Aquę fontanæ }

Commixtas ebibit, recteq́; ore atq; aluo purgatus fuit, ac indies conualuit.

*Phlebotomia.*

Sequenti die poſt corporis purgationem Cephalicam uenam ſecuit iuxta dextrę manus pollicem. Nam ex illa parte dolor affligebat grauius.

*Epithema.*

*Epithema in ſæuo capitis dolore calido.*

R. Cancrorum uiuorũ numero xx.
Aceti roſacei. Vnc. v.

Contundantur in Mortario, ut fiat Epithema: quod tepidè

admouebatur ſæpenumerò affecto capiti, ſtatim ab initio Curationis, ac ad releuandum cruciatum plurimùm proficiebat.

## CVRATIO LXXIIII,

*Aluus aſtricta Colica.*

*Conſtipationis Alui, Colicæ.*

*Chriſtophorus Schiz. Oberbeſhing.*

VXor Chriſtophori Schizen ruſtici colentis uitam in pago Oberbeching nominato ætatis ſuę anno 64. aſtricta in totum erat aluo & indurata per 40. dies, qua Colicus dolor capitis'ꝙ excitabatur, quam mox curaui ſequenti Suppoſitorio.

*Suppoſitorium in Aluo aſtricta, & Colica.*

*Suppoſitorium.*

R. Extracti Eſulæ drach. j. S.
Mellis quantum ſufficit.

Fiat

Fiat Glans in modum digiti minimi duplicati longa & craſſa: quę butyro recenti illita in alū indebatur: qua ſtercora præ dura, multa & magna proiecta ſunt: ac illicò, DEI miſericordia, ſana facta eſt.

*Victus.*

Cæterùm Potus loco ſuaſi, ut per dies aliquot biberet Serum Lactis Saccharatum, cibos uerò humectantes.

## CVRATIO LXXV,

*Pleuritidis.*

EXperta Offingæ in Ioanne Rœsle ann. 30. nato: cui Pleuritide correpto opem auxiliūq; ferebam per hoc hydroticum. *Pleuritis. Offingen. Hans Reſlen.*

*Hydro-*

Sudoriferum.

*Hydroticum.*

R. Cardobenedicti M. iij.

Decoquantur in aquæ menſura, quanta conuenit ad dimidias. Iuris iſtius exhibebantur Vnciæ vj. calidè in lecto ieiuno ſtomacho: ex quibus diu multumq́ ſudabat. Et cùm dies 8. ſudoriferam hāc potionem eo modo continuaſſet: intra hos dies ad ſanitatem peruenit abſque ſanguinis miſsione.

## CVRATIO LXXVI.

Hydrops.

*Hydropis.*

Hans Vueyſſing in Peterſwert.

IOannis Vueyſsingi uxor, quę uitam agit in Peterſvuert, nata 32. annos laborauit hydrope aquoſo, Aſcite nominato: quā ego,

ego, Dei gratia & auxilio mox liberaui, ſequenti hydragogo.

*Hydragogum.*

*Hydragogum.*

R. Extracti Eſulæ ſcrup. ij.
Seri lactis Vnc. v.

Dlluantur. Aſſumebat hanc potionem frigidè, & plurimum aquoſitatis egerebat. Et cum iſtum potum ter ebibiſſet interiecto poſt potionē unius diei ſpacio ab Ichoribus totum corpus expurgatum eſt, ut intra paucos dies Baſilicè habere cœperit, recteq́ꝫ ad DEI laudem curatus ſit.

*Victus.*

Victus rationem conceſsi calefacientem & maximè ſiccantem.

Potum pro ſitis neceſsitate capiebat Serum lactis: in quo grana iuniperi cõtuſa incoquebantur.

## CVRATIO LXXVII,

*Pleuritidis & Symptomatum.*

*Pleuritis. Andreas Riſs. Riedsſend.*

EXperta in filia Andreæ Riſs degentis in Riedsſend nata annos 18. quæ mox ſanitatem recuperauit per ſequentia medicamenta.

*Purgatio.*

Rec. Decocti pectoralis Vnc.j.s.
Syrupi roſati ſolut. Montani Vnc.s.
Èxtracti Eſulæ ſcrup.j.

El.

El de ſucco roſarū drach.j.
Cōmiſceantur pro potu: quo rectè reſpondit aluus per ſeceſſum & os per uomitum.

### *Hydroticum.*

*Sudoriferum.*

Perſequentes quinq; dies manè potui præbebantur ex ſubſcripto Decocto calidè Unciæ 4. Et ſtragulis contecta ſudorē multum emittebat, ac omninò conualeſcebat per illud.

R. Cardobenedicti M.ij.
Decoquantur in conueniente quātitatę aquæ ad dimidias, ac exhibeatur, ut dictum eſt.

## CVRATIO LXXVIII,

*Matricis ſuffocatio.*

*Vteri aſcenſus, Vomitus, &c. accidentium.*

*Xander Friſchaupt in Vnderſtozing.*

IN Alexandri Friſchaupt uxore uitam traducēte in Vnderſtozing oppidulo, cùm eſſet annorum 40, uterus ueluti globus efferebatur ſurſum ad uentriculum, quem grauiter premebat, uomitum concitabat, pręcordia augebat, difficilemq́ ſpiritum reddebat, contra quæ mala ego hæc pauca remedia adhibui.

*Purgatio.*

R. Trochiſcorum Alhandaal puluerizatorum drach. j.

Con-

Conſeruæ Dianthoûs drach. ij.

Macerentur per noctem in uini Vnc. vij.

Infuſi huius percolati manè bibebat uncias quinq;: & egeſſit aliquoties, matrixq; ad ſedē ſuam delata eſt.

*Victus.*

Victus ratio concedebatur calefaciens & humectans. Vinum autem cui per noctem roſmarinus imponebatur: quo uterus ualdè pacatus fuit.

CVRATIO LXXIX.

*Hydropis, Dyſuriæ, Aurium doloris, ſpirandi difficultatis.*

*Hydrops. Dyſuria. Aurium dolor. Spirãdi difficultas.*

EX his ægritudinibus ſanus factus

*Thomas Vuideman. Schwenningen.* factus eſt in paucis dieb. filius Thomæ Vuideman Schvuenningenſis, cùm ageret annũ 17. his adhibitis remedijs.

*Purgatio.*

R. Diaturbith cum rheobarbaro ſcrup. ij.
Extracti Eſulæ drach. s.
Seri lactis Vnc. iij.

Permiſceantur ut fiat potus: quem frigidè ebibit: multasq; aquoſitates egeſsit. Aſſumebat autem hunc Potum ter, quarto ſcilicet quoque die: intra quod temporis ſpaciũ indies rectiùs ualere cœpit, & ab his omnib. corporis uitijs liberatus fuit.

*Victus.*

Pro ſedanda præterea ſiti, & leuan-

leuandis quoq; ipſis morbis, uinum Iuniperinū permiſi: quod ipſi plurimum conferebat.

## CVRATIO LXXX,

*Vermium uentriculum mordentium, capitis doloris, ſpirandi difficultatis, tuſsis, &c.* *Vermis.*

CRuciabatur his malis filia Caſpari Vuideman Schrezenſis agens annum 21. quæ ſanitatē mox recuperauit ſequenti Potu bis repetito. *Caſparus Vuideman Schrözen.*

*Potus purgans.*

R. Decocti centaurij minoris Vnc. iij.

Diaturbith cum Rheobarba drach. j s.

Extracti Eſulæ drach. s.

 Fiat

Fiat ex his Hauſtus: quo uermes permultos ore aluoq́; reiecit, ac ſtatim rectiùs habuit.

Tertio die eundē accepit potum, cuius felici operatione ſanitas omninò reſtituta fuit.

CVRATIO LXXXI.

Pleuritis. *Pleuritidis, eiusq́; ſymptomatum.*

Biſwangen. Chriſtina Abelerin. EXperta Biſvuangi in Chriſtina Abelerin nata annos 41. quam graui Pleuritide correptam liberaui per hæc pauca medicamenta.

*Potio rumpens apoſtema pleuriticum.*

℞. Aquæ Benedictæ Vnc.j.

Aquæ

Aquę Cardomariæ tantundem.

Syrupi uiolati ſolut. drach.iij.

Diluātur pro Hauſtulo: quo multa cruenta & purulēta ore aluoq́ꝫ reiecit diſrupto Apoſtemate: atque eodem die rectiſsimè ualere cœpit. Nā febris remiſit, punctorius dolor deſijt, ſpiratio facilis fuit, ac tuſsi leni de latere affecto multa excreauit: atqꝫ ita ſine ſanguinis detractione ex morbo iſto euaſit.

*Victus.*

Cum humectante cibo potum ordinabam.

qui R. Cardomarię M.j.s. Paſſularum Vnc.ij.

Decoquantur in ſufficiente quãtitate aquæ, ut eſt artis. Decoctum percolatum traijciebatur cum conſerua roſarum per rarum linteũ: potuiq; dabatur.

## CVRATIO LXXXII.

*Vomitus. Anorexia. Aſthma. Tuſsis. Sitis. Iacobus Hodã. Biſwangen.*

*Vomitus, Anorexiæ, Aſthmatis, Tuſsis, Sitis.*

LIberaui ab his omnibus affectibus Iacobum Hodam Biſvuangẽſem ruſticum 26. annos natum, ſequentibus medicinis exhibitis.

*Purgatio.*

R. Aquæ Benedictæ, Aquæ Hyſſopi } ana Vnc. j.

Syrupi

Syrupi de Hyſſopo drach.iij.

Commiſceantur, ut fiat Potio, qua frigidè epota uitioſorũ humorũ reſiduum uomitu reiecit, & ſeceſſu fœtida multa excreuit: ex qua deinceps euacuatione rectius habuit. Nam uomitus ſuppreſſus, reſpirãdi difficultas remota, appetitus reſtitutus, tuſsis inhibita, ſitis'que ſedata fuit.

Præter hanc autem potionẽ adhibita fuêre etiam hæc quæ ſequuntur.

*Fomentum.* *Fotus contra uomitũ.*

R. Abſinthij M.iiij.

Decoquantur in ſufficienti quantitate aceti acris & aquæ: quibus per ſacculũ expreſſum

fouebatur uentriculus.

Balneũ contra uomitũ, &c.

*Balneum.*

Vtebatur præterea per dies aliquot aquæ dulcis chalybeatæ Balneo.

*Victus.*

Potus nomine cõcedebam, uinum abſinthiacum & rubellum. Atq; his omnib. omninò liber & ſanus euaſit citiſsimè.

Aqua Benedicta qualis, quæq; compoſitio, uires, &c.

*Obſeruatio.*

Quoniam in hac Centuria perſæpè fit mentio de AQVA BENEDICTA: inijciet fortè Lectori cogitationem & cognoſcendi deſiderium, qualis'nam iſta ſit AQVA, & quæ

quæ eius compoſitio, quæ reliquæ uires: hæc omnia tanquam occulta (uolente Deo) in alijs Centurijs proferemus in lucem, ac qualia quantaq; ſint, exponemus.

## CVRATIO LXXXIII.

### Serpiginis, Impetiginis.

*Impetigo.*
*Serpigo.*

MArtinus & Andreas Rulandi, filioli mei chariſsimi patiebantur diu in brachijs, uentre, ac cruribus, feras, triſtes, atque flebiles Impetigines, quas mane & ueſperi iuxta ignem illinebam Sulphuris Oleo: quo intra perpaucos dies dolor, pruritus, omniſq; infectio ſubmota eſt.

*Martinus.*
*Andreas.*
*Rulandi.*
*Oleum ſulfuris.*

ta eſt, nec unquam poſteà recru duit.

*Abſceſſus. Vlceris colli ſinuoſi, cum Dolore & Tumore. Sebaſtianus Coruinus Laugingauus Profeſſor.*

## CVRATIO LXXXIIII,

*Abſceſſus, ulceris maligni, lati, profundi, difficulterq́ curabilis.*

EXperta Laugingæ in erudito uiro Dñ. M. Sebaſtiano Coruino ſcholæ Ducalis ibi Profeſſore Philoſophię, qui patiebatur in collo Abſceſſum cũ magno tumore & dolore: quẽ maturatum Chirurgus ſcalpello perforauerat, ex quo indies alba ſanies multa effluebat. Sed, quia ulcus malignum, ſinuoſum, & cauernoſum erat, ad ſanitatem, permultis etiam tentatis remedijs, reducere non potuit,

potuit. Conſulebam itaq; Tonſori, ut ulceris ſinus oleo ſulfuris mundificaret, turundas'que eodem oleo tinctas inderet manè atq; ueſperi: quo continuò rectius habuit, & indies ulcus ad optimam (laus DEO, Opt. Max. Medico) ſanationem citiſsimè peruenit. *Oleum ſulfuris.*

## CVRATIO LXXXV.

*Auris apoſtematis, ulceris, doloris'q;.*

IOannes Bůch præfectus agriculturæ Aulæ Dillinganę percipiebat longo tempore acerbiſs. grauiſs. rabidos'q; capitis cruciatus & punctiones propter auris apoſtema & ulcus: ex *Auris apoſtema. Vlcus. Dolor. Hans Bůch. Dilingen.*

ex quo continuè ſanies liquidior emanabat. Huic in conſilium poſt multa fruſtrà tentata medicamẽta adhibitus ego iuſſi, ut manè ac ueſperi in aurem læſam tres aut quatuor guttas Olei ſulfuris tepidi priore reiecto inijceret, & poſteà in ſano latere horas aliquot decumberet. Quod cùm feciſſet, indies omnis dolor mitigatus, ulcus abſterſum curatũq; fuit in paucis diebus cum omnium admiratione.

*Balſamum Sulfuris.*

Per idem ſulfuris Balſamum ad eundem modũ adminiſtratum ſanaui auris dolorem intenſiſs. in Berl. Nagl. ciuis Dilingani filio.

*Berl. Nagl. Dilinganus.*

## CVRATIO LXXXVI.

*Ani prolapſus, Mariſcæ, Hæmorrhoidum'ue.*

*Anus prolapſus.* Mariſcæ. Hæmorrhoides. *Martinus Stainhaymer, Gundelfingenſis.* *Inſeſſus ad Anum prolapſum & hæmorrhoidas.*

MArtinus Stainhaymer ciuis & piſtor Gundelfingenſis circa annum ætatis 50. delapſus eſt in ani procidentiam, Hæmorrhoidasq́ cæcas, dolores uehementes. Quærenti igitur à me conſiliũ INSESSVM prę pato iſtiuſmodi.

℞. Aluminis crudi Vnc. vj.

Decoquantur in aqua pluuiali, cui chalybs uel ferrũ candens aliquoties intincta ſit.

Inſidebat in hoc manè & ueſperi per 8. dies: & tertio quoq; die innouabat ἐγκάθισμα. Ante inſeſ-

inſeſſum digito anum ad locũ ſuum reducebat. Poſt balneũ Hœmorrhoidas Balſamo ſulfuris inungebat: quo dolor omnis quieuit, anus retentus fuit, & ſic intra octo dies ſanus cum Dei ſumma laude & potentia euaſit.

*Balſamum ſulfuris.*

## CVRATIO LXXXVII,

*Fici, ſeu Hæmorrhoidum cæcarum graues dolores excitantium.*

*Ficus. Hæmorrhoides.*

*M. Silberhorn Ieſuita Dilinganus.*

M. Io. Silberhorn Ordinis Ieſuitarum nõ ita pridem Dilingæ cruciabatur infeſtiſsimo & intolerabili Hæmorrhoidũ dolore: ad quem ſubleuandum Medicus alius ipſi multa, uariaꝗ́

riáque auxilia fruſtrà adhibuit. Tandem ad me ueniens, queſtus mihi eſt de hoc occulto malo multa: pro quo tollendo Balſamum Sulfuris ad Vnc. dimidiam exhibeo: quo calidò hœmorrhoidas ſępè, maximè poſt excretionē perunxit, ac ſtatim ab acerbiſsimo & odioſo iſto dolore liber ſanusq́ factus eſt. Nam ualet hoc Balſamum certò in hoc uitio, nec unquam fallit, ut experimenta innumera edocebunt. *Balſamum ſulfuris.*

## CVRATIO LXXXVIII,

*Vulneris.*

EXperientia probata in Ioanne Mayr iuniore, ciue & Lanio Laugingano affine meo: *Ioan. Mayer Laugmganus.*

